DE CIVITATUM SALUBERRIMO INSTITUTO, DEQUE SUMMI IMPERII JUSTIS LIMITIBUS.

JUVANTE DEO TRIUNO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆSIDE

DANIELE MAICHELIO,

SS. THEOL. DOCTORE & PROFESSORE
EXTRAORD. PHILOSOPHIÆ PRACT. ORDINARIO,
DUCATUS WIRTEMBERGIÆ SUPERIORIS
PÆDAGOGARCHA,

D. AUG. A. MDCCXLV.

IN AUDITORIO PHILOS. ÆSTIVO

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

SOLENNITER DISPUTABUNT

HENRICUS GUILIELMUS CLEMM,
ALTO-ASPERGENSIS.
ADAMUS FRIDERICUS MACK,
GÖPPINGA-HOCHDORFFENSIS.
Magiſterii Philoſoph. Candidati & Sereniſſimi Ducis Stipendiarii.

TUBINGÆ, Typis Viduæ ROEBELIÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

§. I.

Nihil tam neceſſarium atque utile, nihilque tam eximium ac præſtans, quod non etiam variis obnoxium ſit abuſibus, neque vel caſu, vel culpa hominum interveniente, vel aliis de cauſis noxios habere effectus poſſit. Quid magis homini ad ejus conſervationem neceſſarium cibo ac potu? atqui eorum tamen abuſus ſæpe plus, quam aliis inedia nocuit. Huc etiam pertinet, quod alibi canit OVIDIUS:lib. 2. Triſt. 267 ſq.

Igne quid utilius, ſi quis tamen urere tecta
comparet, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina ſalutem;
quæque juvans monſtrat, quæque ſit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator:
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.
Diſcitur innocuas ut agat facundia cauſas,
protegit hæc ſontes, immeritosque premit.

§. II.

Quod ſi jam propius ad ſcopum noſtrum ituri, idem, quod modo diximus, ad inſtituta humana adplicemus, ne-

mo ſane inficias iverit, homines ipſa neceſſitate adactos in Civitates coaluiſſe, eſſeque horum inſtitutum per ſe utiliſſimum atque ſaluberrimum (*a*), quippe totum eo vergens, ut, qui ejuſmodi cætus formaverant, publica tranquillitate atque ſecuritate, cui in ſtatu naturali non ſatis (*b*) cautum erat, eo certius firmiusque (*c*) fruerentur. Verum quam hic *augu-*

(*a*) Ita breviter & nervosè ARISTOTELES l. 1. Pol. c. 2. & l. 3. 4. finem civitatum eſſe, ait, τὸ ζῆν καὶ τὸ εὖ ζῆν. *Vivere & bene vivere.* Atque idem l. c. c. 1. πασῶν κυριωτάτη καὶ πάσας περιέχουσα τὰς ἄλλας κοινωνία πολιτική. h. e. ut Cicero vertit l. 1. de off. *Societatum omnium princeps eſt Societas Civilis.* Addi merentur & hæc JACOBI BONFADII verba ex *annal. Genuenſ.* l. 1. ab init. *Magna quædam res eſt, magnasque felicitates continet civilis hominum Societas atque conjunctio; ex qua cum omnis humanitas, omnes optimæ artes ortum habuerint, tum ipſa amplius juſtitia, reliquarum omnium regina virtutum orbi terrarum illuxit, ut plane confitendum ſit, nullum eſſe mortalium generi conſtitutum bonum, quod officio cultuque civili aut optabilius eſſe poſſit, aut præſtantius.*

(*b*) Hinc licet ſtatus naturalis non ſit ſtatus belli, uti contendit HOBBESIUS, recte tamen PUFENDORFIUS, licet quandoque fluctuare, nec ſibi ſatis conſtare viſus, eum adpellat ſtatum *pacis parum fidæ.* de off. H. & C. l. 2. c. 1. §. 11. & de J. N. & G. l. 2. c. 2. §. 12. Confer ROESLERUM in themat. P. 2. §. 10. conf. &, quæ alibi jam à nobis dicta ſunt in diſs. de *Jure Principis circa doctrinas publicas* p. 1. ſqq.

(*c*) Huc pertinet, quod ſcribit CICERO l. 2. de off. *hanc ob cauſam, maximè ut ſua tuerentur, Respublicæ Civitatesque conſtitutæ ſunt. Nam etſi duce natura congregabantur homines; tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum urbium præſidia quærebant.* Eleganter etiam GROTIUS in *Chriſto patiente*:

Poſtquam ira belli, mater atque auri fames
artes nocendi reperit, & placidos ſuo
præſtare poterat nulla ſecuros quies,
infirma per ſe vita communi metu

Google

augurio cecidit ſpes bona ſæpe ſuo?
Locuples enim eſt hiſtoria ejuſmodi exemplorum, quæ ſatis

in fœdus homines traxit, alternam docens
opem paciſci; mœnia amplecti domos
cœpere; majus inde præſidium bonis
ſubiere leges; pœna reſpondet ſuæ
æquata culpæ: redit ad auctorem malum:
juſtitia ab ipſo crimine exemplum petit,
damni rapinas ulta, cædem ſanguine,
ut facere metuat quisque, quod metuit pati.

Eſt etiam elegantiſſimus locus OVIDII, qui legitur lib. 5. Faſtorum. Ibi enim per fictionem repræſentat Majeſtatem, tanquam ex honoris & reverentiæ conjugio ortam, cum antea nulla vel ætatis vel dignitatis ratio haberetur, atque ſumma imis permiſceri tam diu viderentur,

Donec honor, placidoque decens reverentia vultu
corpora legitimis impoſuere toris;
Hinc ſata Majeſtas, quæ mundum temperat omnem,
quaque diu partu eſt edita, magna fuit.

& paulo poſt:

Protinus intravit mentes ſuſpectus honorum:
fit pretium dignis; nec ſibi quisque placet.

Idem in præcedentibus l. 3. Faſt.

Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet.

Nec male XENOPHON l. 4. *memorab. Arctiſſimum,* inquit, *atque optimum omni in Republica vinculum incolumitatis, quæ ſine juſtitia nullo pacto eſſe poteſt.* Conferatur adhuc CICERO, cujus hæc ſunt verba lib. 3. de *legibus: ſine imperio nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum Univerſum genus ſtare nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.*

Digitized by Google

oſtendunt, eos, quorum erat tueri ſubditos, ſalutemque Reipublicæ omni ſtudio viriumque contentione promotum ire, haud raro in contraria verſos ſtudia, illius curam abjeciſſe, imo & in ejus perniciem ruere auſos. Quem fugit illud tyrannicum CALIGULÆ? *Utinam una cervix!* Nec ſilentio prætereundum, quod de HIERONYMO SYRACUSANO Rege, eodemque Tyranno refert LIVIUS libro 24. c. 5. *Hunc convenientes ſequebantur mores, contemtus omnium hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta, aditus non alienis modo, ſed tutoribus etiam difficiles, libidines novæ, inhumana crudelitas.*

§. III.

Quod vero inprimis mirandum, dolendumque, illud eſt, hæc aliaque id genus iniquiſſima Principum facta invenire ſubinde, qui ſervili admodum abjectiſſimoque adulandi ſtudio adducti, illorum patrocinium ſuſcipere, eosque ad illa committenda ſuis pravis ſuggeſtionibus permovere, vel illimitatam, quam ſibi temere arrogant, poteſtatem vaniſſimis rationibus ſuffulcire, (d) haud vereantur. Dignum memoratu eſt, quod de VESPASIANO refert TACITUS lib. 11. Hiſt. VESPASIANUS *inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud obſtinatus erat, donec indulgentia fortunæ & PRAVIS MAGISTRIS didicit, auſusque eſt.* Idem etiam in Hiſtoria HENRICI VII. Angliæ Regis refert BACO de VERULAMIO, Vir magnæ, cum viveret, in Anglia, ubi natus erat, exiſtimationis, idemque poſt fata adhuc

(d) Graviſſimis itaque de cauſis eidem Scriptori l. c. adulationis & coëthes *vetus illud in Republica malum* dicitur, qui & alibi recte obſervat, *omni adulationi fœdum ſervitutis crimen ineſſe.*

Digitized by Google

adhuc obvaria præclari ingenii & probatæ dexteritatis documenta, hocque ipſum, cujus modo à nobis mentio facta eſt, ſcriptum orbi erudito commendatiſſimus. Nimirum hic de infidis iſtius Regis miniſtris, EMPSONO & DUDLEJO, merito conqueritur, illos non *ſaluti publicæ*, ſed *privatis* iisque *injuſtis deſideriis* atque *cupiditatibus* Regis *ſua conſilia* ſervilem in modum *accommodaſſe*, atque ita occaſionem non modo præbuiſſe, ſed viam etiam ſtraviſſe ad eas *oppreſſiones* & *concuſſiones* pro *pecuniis undique corradendis*, quibus Rex per affectationem *nimiæ potentiæ* divexaverit ſuos cives, & quarum ipſum poſtea, cum ad ſaniorem mentem rediiſſet, ſub finem vitæ ſuæ valde *pœnituerit (e)*. Mittimus jam alia Pſeudo-politicorum Exempla, de quibus adhuc in ſequentibus commodior dabitur dicendi occaſio.

§. IV.

Sed num propterea ipſum Civitatis imperiique civilis inſtitutum accuſabimus? aut num ideo celanda erit veritas, quam alii peſſimo conatu atque impio placendi ſtudio diſſimularunt, vel cum deceptricibus ac pernicioſis adulationum blanditiis commutarunt? abſit vero per omnem modum! Quin potius manet illud per ſe egregium, omnibusque votis expetendum. Neque in tradendis ſolidioris Politicæ regulis committendum, ut prudentia in aſtutiam vertatur. Optime Author Gallus Parallelismi inter Card. RICHELIUM & MAZARINUM: *La veritable habileté conſiſte à n'avoir jamais beſoin de tromper, & à reuſſir toujours par des moyens honnêtes, ce n'eſt, que par foibleſſe,*

(e) Conf. Orat. noſtram de *vita nemini mancipio, omnibus uſui danda* p. 18. ſq.

Digitized by Google

bleſſe,& faute de réconnoitre le droit chemin,qu'on prends des ſentiers detournés, & qu'on a recours à la ruſe. Malum conſilium conſultori peſſimum. Bene Germani, jam olim in ſuis Majoribus TACITO commendati: *ehrlich wwährt am längſten:* cui uſitatiſſimo, utinam quotidiana praxi ad omnes tranſeunti Proverbio jam olim ita pulchre præluſit OVIDIUS:

ſufficit, & probitas ævum perdurat in omne.

§. V.

Itaque hoc modo agitur,ut imperium,de quo jamſermo inſtituitur,intra juſtos cancellos poſitum repræſentetur,atque oſtendatur,quousque Principum poteſtas ſecundum genuina jurisprudentiæ naturalis atque Politices principia progredi poſſit, & ubi ſubſiſtere debeat *(f)*. Quos limites qui deſignare ſuſcipiunt, tantum abeſt, ut civilis imperii authoritati atque pretio derogare cenſendi ſint, ut idem potius firmare atque extollere, Principumque non minus quam Rerumpublicarum ſecuritati conſulere videantur. Optimè TACITUS libr. 2. Hiſt. *nec unquam ſatis fida potentia, ubi nimia eſt.* Hinc de Rebuspublicis non minus, quam illarum Rectoribus peſſime meriti videntur illi, qui in horum poteſtate ultra, quam par erat, evehenda ſuam operam poſuere, vel perdidere potius. Nimirum *moderata durant*; pertinetque huc etiam, quod canit HORATIUS l. 1. Sat. 1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

§. VI.

(f) Conf. BöHMERUS in J.P.U. p. ſp. l. 1. c. 5. ubi obſervat, quod limites ponere in ſenſu politico idem ſit, ac poteſtatem alicujus ita circumſcribere, & reſtringere, ne nimium poſſit excedere.

Digitized by Google

§. VI.

Quemadmodum, uti rectiſſime dictum legimus in Apolog. Aug. Conf. Art. 8. §. 11. *Evangelium non abolet Politiam*, ita nec eam tollit Jus Naturæ, quin fundat potius, firmiusque ſtabilit. Jam vult Deus per ipſum Jus Naturæ genus humanum ſalvum atque incolume; hujus finis generaliſſimi, & per univerſalem illam hominum ſocietatem latiſſime patentis ille, quem Civitas quæcunque ſibi propoſitum habet, nihil aliud eſt, quam ſpecialior quædam determinatio, adeoque ex generaliori illo & communi fonte primum repetenda, in illumque ultimatò reducenda.

§. VII.

Cum igitur qui vult finem, cenſendus etiam ſit velle media, & vero pro præſenti hominum corruptione communi inter eos tranquillitati atque ſecuritati non ſit cautum proſpectumque, niſi adſint etiam media *coactiva*, quibus qui dictamini juris naturalis ultro ſeſe ſubjicere, atque officia Socialitatis erga alios obſervare detrectant, veluti frenum injiciatur, ut ab aliis lædendis abſtineant, atque ad pacem cum reliquis hominibus, tanquam ſui ſimilibus, colendam ſeſe accommodent; cum vis etiam, qua *ſinguli* ſuam ſecuritatem aſſertum eunt, nec ſatis commoda, nec tuta ſatis, nec ſufficiens ſæpe via ſit, ad vim inimicam repellendam; Conſultiſſimum utique erat, ut homines de perfectioribus multo atque expeditioribus ſecuritatis ſuæ præſidiis cogitarent, atque ita junctis voluntatibus ac viribus ſub uno communi Imperio in civitates (g) coaleſcerent,

(g) Illuſtrari hæc poſſunt ex TACITO, qui de *veteribus Germanis* ait: *dum ſinguli pugnarunt, univerſi ſunt victi.* At iidem poſtea,

rent, ſecuritatem communem, quam Deus in genere humano intendit *(h)*, eo facilius obtenturi.

§. VIII.

Licet igitur Civitates ſint productiones humanæ, quippe à pactis Civium tum inter ſe, tum quoque cum Imperante, tanquam ſummo capite initis, proximè arceſſendæ, quo ſenſu etiam in ſacris literis Magiſtratuum conſtitutio κτίσις ἀνθρωπίνη expreſſe dicitur 1 Petr. V. 13. *(i)* quod tamen ipſum Civitatis

teſte eodem, in civitatem coaluere, ut præſidia ſibi componerent contra mala, quæ ipſis ab hoſtibus imminebant, junctis hoc modo & voluntatibus & viribus hoſtium inſultibus eo fortius reſtituri. Quod etiam ſecuritatem internam, quam leges & pœnæ, conſtitutis civitatibus, præſtant, attinet, pertinet huc illud Philoſophorum veterum: *juſtitiæ fruendæ cauſa Reges conſtitutos.* Notari merentur & ſequentes verſus LUCRETII:

Amplius ex ira quod enim ſe quiſque volebat
ulciſci, quam nunc conceſſum eſt legibus æquis,
idcirco eſt homines pertæſum vi colere ævum.

Cæterum conferatur etiam Puf. de off. H. & C. l. 2. c. 5. §. 8. & RöSLER in themat. l. 2. c. 1. §. 8.

(*h*) Digna ſunt, queis locum heic demus, verba BUDDEI, qui in libro de *concordia Religionis Chriſtianæ ſtatusque civilis* ait p. 9. *Cum Deus ſumme bonus ſit, perque ſuam naturam non poſſit non homines tenerrimo proſequi amore, certiſſimo argumento inde colligere licet, eum omnia ea adprobare inſtituta,* (imo præcipere etiam), *ſine quibus ſalvum eſſe genus humanum nequit.*

(*i*) Huc pertinet etiam, quod more ſuo breviter & nervosè ſcribit HERTIUS in elementis prudentiæ civilis P. I. Sect. 6. §. 11. *origo ſummæ poteſtatis eadem eſt, quæ civitatis.* Et paulo plenius BUDDEUS in *Theol. mor.* P. 2 c. 3. Sect. 7. §. 4. *Conjunctio iſta hominum, in unam Societatem coaleſcentium, fieri aliter non potuit, quam per pacta, ſive explicitè ſive implicitè, inita, quibus non tantum ad mutua com-*

inſtitutum, ipſumque ſummum Imperium in ſe ſpectatum attinet, dubium non eſt, quin iſta altiori origine, Divinaque authoritate nitantur; prout id ex dictis facile colligitur, atque ex ipſa Revelatione ulterius confirmatur. Pertinet huc inprimis locus claſſicus Rom. 13. v. 1. ubi Magiſtratus ordinatio Divina nervosè dicitur, inſimulque & illius finis clare indicatur, qui eſt malorum coercitio, & proborum defenſio, generatim totius civitatis conſervatio atque ſalus (k). Conf. & 1 Tit. 2. v. 1. ſqq.

 §. IX.

moda promovenda ſeſe obſtrinxerunt, ſed ſummo alicui Imperanti, ſine quo ejusmodi ſocietas ſubſiſtere nequit, ſe ſubmiſerunt. Unde hactenus quidem Rerumpublicarum introductio, & ſummi Imperii conſtitutio ab hominibus originem habet, quo pacto, & Petrus eam ἀνθρωπίνην κτίσιν vocat.

(k) Uberius iſta explicat PUFENDORFIUS, qui poſtquam imperium civile à pactis, tanquam cauſa proxima, repetiiſſet, mox l. 7. c. 3. §. 2. ſequentia ſubjungit: *Id tamen extra dubium eſt, ſanam rationem ſatis dictaſſe, poſt multiplicatum genus humanum decus, pacem atque incolumitatem ejusdem ſubſiſtere non potuiſſe, niſi conſtitutis civitatibus, quæ ſine ſummo imperio intelligi nequeunt. Quo ipſo etiam civitates & ſummum imperium à Deo, tanquam legis naturalis Auctore, profecta cenſentur. Nam non ea tantum à Deo ſunt, quæ ipſe immediate, & citra ullum factum humanum interveniens inſtituit, ſed & quæ homines ductu ſanæ rationis pro conditione temporum atque locorum recepere ad implendam obligationem, ſibi abs Deo injunctam* 1. Tim. 2. ℣. 2. *Et cum in magna hominum multitudine lex naturalis commodè exerceri nequeat citra imperium civile, patet Deum, qui iſtam hominibus injunxit, præcipere quoque, ut ſocietates civiles inſtituantur, quatenus tanquam media excolendæ legi naturali inſerviunt. Inde & Deus in ſacris litteris expreſsè id imperium probat, & pro ſuo agnoſcit, ejusque ſanctimoniam & venerationem ſeveriſſimis legibus ſancit.* In ſequentibus etiam contra GROTIUM, ſtatuentem, *Majeſtatem Divinam dici, quia ſalubre hominum inſtitutum Deus probavit*, ſubjungit: *id*

Digitized by Google

§. IX.

Atque ita non eſt, cur diu multumque nos anxios atque inquietos teneat quæſtio de origine (*l*) Majeſtatis, magnis

haudquaquam ſic admiſerim, quaſi conſequenter, & velut ex poſtfacto Deus conſtitutionem imperii civilis adprobaverit, ſicuti ſervilem conditionem, quæ ſine dubio humanum eſt inventum, ſancire dignatus eſt: Eph. 6. ℣. 5. 6. 7. 9. Col. 3. ℣. 22. 1 Tim. 6. ℣. 1. Tit. 2. ℣. 9. *ſed omnino addendum, antecedenter homines potuiſſe voluntatem Divinam intelligere, conditione multiplicati generis humani expenſa, cujus ſalus uti extra civitates in vita ſegrege ſubſiſtere non poterat: ita mortales, dum ductum rationis heic, ad ſcopum legis naturalis congruentem, ſequuntur, voluntatem Divinam implere, ſunt cenſendi:* Subſcribit PUFENDORFIO B. ROESLER, qui in Them l. 2. c. 6. §. 13. ait: *hæc de ſtructura civitatum doctrina non obſtat, quo minus Deus rectè pro Auctore & cauſa principali Majeſtatis habeatur, quatenus multiplicato genere humano conſtitutionem civitatum, & ſummi in iis Imperii per dictamen rectæ rationis præcepit.*

(*l*) Scilicet num iſta ſit *immediatè*, an *mediate* à Deo? Pro diverſo enim reſpectu dici poteſt utrumque. Immediate eſt à Deo, tanquam *cauſa principali*; immediate ab hominibus, tanquam *cauſa inſtrumentali*. Immediatè à Deo, *quoad rem*; mediatè autem ab hoc, & immediatè ab hominibus, quoad *habendi modum*, & quoad *diverſos gradus* in ipſo Majeſtatis exercitio. Immediatè à Deo quoad *virtutem, efficaciam*, atque *authoritatem*; cum qui in his terris ſuperiorem non habet, non niſi à Deo, quippe ſupremo hujus Univerſi Rectore, eodemque *Rege Regum* & *Domino Dominantium*, *dependeat*; ab hominibus verò immediate quoad *collationem*, & *deſignationem certæ perſonæ*, cui Majeſtas ineſt; quanquam & hic dubium non ſit, quin in re tam gravi tamque ardua, proque rationibus ſpecialioribus, ſoli Deo perfectè cognitis perſpectisque, ejus providentia heic etiam haud raro peculiari quadam ratione intercedat. Ex quibus ultro intelligitur, litem hanc non eſſe adeo difficilem, quin terminis rite evolutis commodè expediri, atque componi queat. Quare (verba ſunt B. D. HOCHSTETTERI in

Digitized by Google

gnis olim animorum motibus inter Eruditos varii ordinis, ut conſtat, agitata. Quid enim, quæſumus, opus eſt, tricis ſeſe involvere in re, per ſe admodum plana, atque aperta? quorſum attinet, velle difficultates ſectari in negotio, expeditu facili, omnibusque obvio? Nimirum *unius rei plures poſſunt eſſe cauſæ*, ut conſtat ex canone vulgatiſſimo, eodemque probatiſſimo. Atque idem etiam hic uſu venire, jam ſatis ex dictis intelligitur. Idem vero ulterius illuſtratur exemplo *matrimonii (m)*, quod à Deo eſſe immediate inſtitutum, ſacræ nos docent literæ: Gen. 2. v. 18. ſqq. At idem tamen, quotiescunque de matrimonio hic & nunc ineundo agitur, mutuo conſenſu inter marem & fœminam ſtabiliri, indeque tanquam à cauſa proxima ſuam repetere originem, nemo inficiatur. Pariter *dominium re-*

Coll. Puf. Ex. XI. §. 4. not. e.) *flammis quidem, aut carnifice, ad componendam hanc litem opus nondum erat, ut in Regia Urbe novo controverſias definiendi inſtituto factum eſſe, vir doctus, conqueritur.* Quibus verbis indigitat CHRISTIANUM THOMASIUM, cum Theologo Hafnienſi HECTORE MASSIO, hac de re contentionis ſerram reciprocare viſum, ita quidem, ut hic apud Regem Daniæ id efficeret, ut ſcripta THOMASII, in quibus hic immediatum Majeſtatis à Deo ortum negaverat, Hafniæ per carnificem flammis addicerentur. Conf. illius Jurispr. D. l. 3. c. 6. §. 66. adde & ejusdem *Monaths-Geſpräche* ad an. 1688. & alibi paſſim. Uſque adeo ſæpe

maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.

Sane huic controverſiæ multum ſeſe λογομαχίας immiſcuiſſe, judiciosè obſervavit RÖTENBECCIUS in diſſ. de Majeſtate motui analoga: & OTTO in notis ad Puf. de Off. H. & C. l 2. c. 6. §. 14. p. 358. pluribusque idem oſtendi poſſet, ſi jam inſtituti ratio permitteret, his diutius immorari.

(m) Utitur quoque hac inſtantia in præſenti argumento B. OSIANDER in *Coll. Syſt.* in loco de *Magiſtr. polit.* §. 3.

rum univerſale immediate à Deo eſt Gen. 1. v.26. ſqq. At dominia rerum particularia ab homine in hominem pacto, aliisve modis congruis tranſire; facultatemque occupandi, naturaliter alias hominibus competentem, in civitatibus varie circumſcribi & poſſe, & ſolere, quotidiana oſtendit Experientia. Vid.B.Prof. ROESLER in Them. l.1. c. 12. §. 16. Nihil igitur obſtat, quo minus imperium ſummum, vel Majeſtas, à Deo & hominibus, & pro diverſo reſpectu jam ab illo, jam ab his immediatam originem habere dicatur. Patet id ex præcedentibus; ubi cum iis, quæ leguntur in textu, inprimis etiam conferri merentur, quæ modo diximus in nota *l*.

§. X.

Sed videamus nunc propius ipſam civitatis ſummique imperii (ſunt enim iſta inter ſe invicem arctiſſimè connexa) naturam indolemque, atque oſtendamus, quomodo hoc limitibus, partim à re ipſa, partim & aliunde petitis, atque illis quidem generalibus, omnique imperio communibus, his ſpecialibus, atque huic illive imperio peculiaribus, atque propriis definiri queat, ſoleatque.

§.XI.

Civitatem definit PUFENDORFIUS (*n*), quod *ſit perſona moralis compoſita, cujus voluntas ex plurium pactis implicita, & unita pro voluntate omnium habetur, ut ſingulorum viribus & facultatibus ad pacem & ſecuritatem communem uti poſſit*. Quæ definitio non ideo præciſe nobis improbanda videtur, quod hauſta ſit ex HOBBESIO de *Cive* c. 5. §. 9. (eſſet enim hoc *argumentum ab invidia* ductum, adeoque in mero deſinens ſophiſ-

(*n*) in libro de *Off. H.* & *C.P.* 2. c. 6. §. 10.

Digitized by Google

phiſmate (*o*), cum non omnia ab HOBBESIO dicta, propterea ſtatim ſint rejicienda) verum ex iſta ratione ſolida, quod PUFENDORFIUS hoc modo *Civitatem* cum *Imperante confundat*. De illa enim agunt priora definitionis verba, & in hoc ſubſequentia terminantur (*p*). GROTIUS in libro de J B. & P. l. 1. c. 1. §. 14. definit, quod ſit cætus perfectus liberorum hominum, juris früendi, & communis utilitatis cauſa ſociatus. Petita videtur hæc definitio ex CICERONE de Rep. lib. 3. adde & l. 1. de Off. Conſentit cum GROTIO WALDKIRCH in Obſ. ad Puf. p. 122. Verum hæc definitio eſt aliquanto (*q*) obſcurior, juſtoque laxior,

(*o*) Videatur CLERICUS in peculiari diſquiſitione de *argumento ab invidia ducto*, ipſius Logicæ annexa.

(*p*) Idem etiam in PUFENDORFIO jam reprehenderunt TITIUS in obſervationibus ad hunc locum, & TREUERUS in notis ad eundem. Nec non MASCOVIUS ad eundem Authorem de l. N. & G. l. 7. c. 2. § 13. Adde &, ſi placet, HEINECCIUM ad Puf. de Off. H. & C. l. 2. c. 6. §. 10. ubi & quoad rem ipſam ſe habere putat, quod in PUFENDORFIO heic deſideret. *Incaute*, inquit, *Auctor ſecutus eſt HOBBESIUM, cujus tamen principia ipſe rejecerat; is enim Imperantem putat eſſe Rempublicam, ſolum illum active, hanc paſſive habere, illum eſſe perſonam, hanc veluti equum, vel currum, quo perſona illa vehatur. Quod principium cum ſit peſtilentiſſimum, mirum ſane eſt, auctorem retinuiſſe definitionem, ex illo profectam.*

(*q*) Quod enim de *liberis hominibus* dicitur, ambiguum eſſe videtur; cum de libertate, quatenus eſt affectio animæ, adeoque facultas naturalis, nulla hic quæſtio ſit, & libertati, *politicè* conſideratæ, quæ dicit *immunitatem à ſubjectione*, interque *jura ſtatus naturalis* referri ſolet, ii, qui in civitates tranſiere, eo ipſo renuntiaſſe cenſeantur. At in ſalvo res eſt. Primo enim dici poteſt, verba illa ſumi poſſe in *ampliatione*, habito reſpectu ad ſtatum præteritum, in quo, qui in civitates tranſiere, antea vixerunt. Deinde *poſtquam etiam* (verba ſunt BöHMERI in J. P. U. part. Gen. c. 2. §. 4. not. e. p. 47.)

Digitized by Google

xior, neque adeo definito plane propria, cum eadem quoque ad alias Societates adplicari poſſit, unde rectiſſime OTTO determinationes, quæ in ea deficiunt, ſupplet, dicendo, quod Civitas ſit conſociatio multorum Patrumfamilias *inæqualis* & *rectoria*, per unionem voluntatum atque virium ſub eodem *Summo Imperio*, juris fruendi & communis Salutis cauſa contracta. Nihil attinet jam aliorum definitiones recenſere, quippe modo loquendi magis, quam re ipſa invicem differentes, adeoque & cum hac *Ottoniana* plane concordantes (*r*).

§. XII.

Ex dictis non difficile eſt intellectu, quid ſibi velit notio ſummi Imperii. Nimirum intelligitur iſto nomine jus regendi

homines abierunt in varias civiles Societates particulares, manſit adhuc inter eos, QUATENUS UT GENTES conſiderantur, ſtatus libertatis, cum nulla gens habeat ALTERAM GENTEM SUPERIOREM, & ita jure æquali inter ſe fruantur. Adde, quod, qui ſub imperio civili, tanquam certiſſimo atque efficaciſſimo ſecuritatis, tam internæ, quam externæ præſidio, vivunt; eo ipſo etiam dulciſſima libertate fruantur, neque cives haberi debeant pro mancipiis Principum, qualia olim apud Romanos ſervi erant in ordine ad ſuos Dominos, qui illos non tam *perſonarum*, quam *rerum* loco habere ſolebant. Eleganter CLAUDIANUS 2. cons. ſtil. 113.

Fallitur, egregio quisquis ſub Principe credit
Servitium; nusquam libertas gratior extat.

Optime etiam SENECA de clem. c. 18. *Civium non ſervitus, ſed tutela Principi tradita eſt.*

(*r*) Videantur ſpeciminis loco TITUS in *Specim. Jurispr. Rom.* Germ. l. 6. c. 7. §. 6 HUBERUS l. 1. *J. P. Univ.* c. 8. §. 1. & lib. 1. Digr. c. 13. HERTIUS in *El. prud.* Civ. P. 1. Sect. 2. §. 4. BöHMER J. P. U. P. ſp. l. 1. c. 2. §. 1. BUDDEUS in *El. Philos. pr.* P. 2. c. 4. Sect 13. §. 1. RöSLER in Themat. P. 2. c. 5. §. 7. JACOBUS GABRIEL WOLFIUS *Inſt. Jurispr. Univ.* P. 2. Sect. 2. c. 1. §. 7.

Digitized by Google

regendi actiones civium ad communem totius Reipublicæ ſalutem, vel, uti definit OTTO, (ſ) eſt facultas eminens ordinandi civitatem ad ſuum finem. Coincidit ergo ſummum Imperium cum Majeſtate, quæ & ipſa definitur, quod ſit ſumma ubique in civitate poteſtas (*t*).

§. XIII.

Cum itaque Majeſtas ſit ſumma ubique in civitate poteſtas, eo ipſo omnem ſui diviſionem reſpuit, quæ ejus naturam indolemque, h.e. ſummitatem (*u*) evertat. Id quod

(ſ) In not. ad PUF. de Off. H. & C. l. 2. c. 7, §. 1. Conf. & HERTIUM in *El. Prud.* C. p. 132. ex quo laudatus Author hanc ſuam definitionem petiiſſe videtur.

(*t*) Explicationem hujus definitionis vide apud B. SCHWEDERUM in J. P. Part. Gen c. 2. §. 19. p. 33. ubi exiſtimat, τὸ ubique hic non dici in ordine ad *locum*, ſed ad *objecta*; verum quid obſtat, quo minus iſta invicem conjungantur? Nec male B. D. HOCHSTETTER in *Coll. Puf.* Ex. XI. §. 5. *Ubi hæc Majeſtas, ubi hæc una, (in perſona ſive ſimplici ſive compoſita) voluntas eſt, ſeque exſerit, ibi Imperium, ibi Regnum ſive Principatus eſt, ſive quocunque formæ nomine imperium inſignias. Et quocunque ea voluntas ſeſe extendit, eo etiam uſque imperium protenditur.*

(*u*) Non itaque omnem Majeſtatis diviſionem negamus, non *Logicam* quatenus Majeſtas concipitur, ut totum poteſtativum, in partes *conſimilis naturæ* reſolubile, quæ ſunt ipſa jura Majeſtatica, alias etiam Regalia dici ſolita, quæ realiter cum Majeſtate, utpote per ſe nihil aliud, quam complexum talium jurium ſiſtente, identificantur. Conf. WEBER in obſ. ad PUF. l. 2. c 7. §. 1. not. 1. qui & in *appendice* p. 49. dicam impingit VITRIARIO, quod is in *Inſt. J. P.* l. 1. tit. 7. Majeſtatem *ſimpliciter indiviſibilem* vocavit, ubi tamen cum ſpectris certat, cum hic Author, fatente ipſo Webero, non neget, Majeſtatem in diverſis objectis varia ſortiri nomina, quo ipſo diviſibilitatem Logicam vel mentalem haud prorſus negare videtur. Quod vero diviſionem *realem* attinet, de ea non eſt una eademque omnium ſententia. Plurimi rotunde ne-

quod notari omnino velimus partim contra *Monarchomachos,*

gant, Majeſtatem ejuſmodi diviſionem ſubire poſſe, ut quædam jura ſint penes hunc, quædam penes illum, alia penes alium, vel alios. In qua ſententia ſunt WEBERUS l. c. BODINUS de Republ.l.2. c. 1.p.287.qui & ex hoc capite mixturam formarum in Republica plane negat.SAMUEL RACHELIUS in *Diſſertatione* de *capitulatione* atque alibi. HOBBESIUS, de quo plura in ſequentibus, ac PUFENDORFIUS ipſe, qui ejuſmodi ſtatum, ubi talis jurium Majeſtaticorum diviſio eſt, non *irregularem* modo, ſed *morbidum* etiam vocat de J. N. & G. l.7. c 4. §. 14. imo *monſtroſum* dicit in MONZAMB. c.6. §.9. Ad quem locum ſine dubio alludit TREUERUS, qui hic contrariam ſententiam, ipſa praxi civili confirmatam, tuetur, ſtatuitque talem partitionem jurium Majeſtaticorum in eadem Republica dextrè intellectam *nihil plane monſtri* alere, in not. ad Puf. p.481. Itaque hic cum pluribus aliis Majeſtatem etiam politice dividi poſſe contendit. Conſentiunt heic GRONOVIUS ad GROTIUM l. 1. c.3. §. 17. FURSTENERUS de ſuprematu c. 11. p.48. HOCHSTETTER in *Coll. Puf.* Ex. XI. not. c. JACOBUS THOMASIUS in annot. ad Tab.49. annot. 226. p.66. Habet verò & hæc controverſia aliquid λογομαχίας. Ita HEINECCIUS in comm. ad GROTIUM p 175. Majeſtatem *dividi* poſſe negat, qui tamen eodem loco haud diffitetur, jura Majeſtatis ita *communicari* poſſe inter Principem atque ordines, ut ille certa jura ſine his non exerceat, nec hi ſine illo. Pariter HERTIUS in El. Prud. Civ. P. I. Sect. 6. §.4. p.152 ait: *non dividi Majeſtatem, cum TEMPERATUR.* At vero, qui pro ejuſmodi *diviſione ſubjectiva* ſtant, nihil aliud volunt, quam ejuſmodi imperia temperata, vel limitata. Tranſeat igitur jam quicquid eſt illius diſſenſus, ſive veri, ſive adparentis, modo caveatur talis, qui vel *Papiſmum*, vel *Monarchomachiſmum* ſapiat, quorum utrumque hic rejicimus; de hoc etiam adhuc in ſequentibus aliquid udmonituri. Cæterum de ipſis juribus Majeſtaticis videatur ex inſtituto ZIEGLERUS. Conf. etiam HUBERUS de *Jure Civitatis* cum notis THOMASII, deque *diviſione Regalium* GROTIUS de J.B. & P. l. 1. c. 3. §.6. HERTIUS in *El Prud.Civ.* P.1. S.6. §.18. OTTO ad PUFEND. de Off.H.&C.p.361.& PUFENDORFIUS ipſe de J.N.&G.l.7.c.4.§.1:

Digitized by Google

machos, quorum famoſa eſt diviſio Majeſtatis in *realem* & *perſonalem*, quarum hanc Imperanti, illam populo cum *inſigni Principum detrimento* (*w*) tribuunt, partem & contra Adverſarios in Papatu. Sane ſi Pontificem Romanum audias, Majeſtas Principum non erit ſumma ubique in civitate poteſtas, ſed erit poteſtas ſubalterna, dependens à Papa; qui in theoria æque, ac praxi hanc ſibi ſupremam in omnes ſtatus civiles poteſtatem ſæpius arrogare, inque Regum & Principum temporalia jam *directe*, jam *indirecte* (*x*) involare haud ſemel auſus eſt. Procul vero faceſſant

C ejuſ-

(*w*) Videantur hic omino PUFENDORFIUS de J. N. & G. l.7. c.6. §.4. BUDDEUS in *Theol. morali* P.2. c 3. Sect.7. §.6. p.579. & in *Hiſt. J.N. & G.* §.52. Adde & *Obſ. Halenſes* T.6. Obſ.I. BOEHMERUM in J. P. U. P. Gen. c.5. §. 29. not. u. p. 123, nec non HEINECCIVM in *Elem. J. N. & G.* l 2. §. 30. p. 471.

(*x*) Ut quando Papa Jus circa ſacra, quod verè Majeſtaticum eſt, Principibus denegat, quo ipſo ampla offertur occaſio, illorum juribus derogandi etiam in reliquis Optime BOEHMERUS in J. P. U. P. Sp. l. 2. c.3. p.403. *Nullo jure Pontifex ſibi poteſtatem legislatoriam in ſacris arrogavit per univerſum orbem chriſtianum, quo ipſo revera poteſtatem & imperium quoddam exercet ſingulis in rebuspublicis ſummo cum præjudicio eorum, qui illis præſunt, qui etiam ipſi ſe hiſce legibus ſubjectos profiteri debent.* Idem in præcedentibus l. 1. c. 4. §. 9 *Jura hæc* (Majeſtatica puta,) *quatenus ad exercendum ſummum imperium neceſſario faciunt, non poſſunt, ſalva ſupremi Imperantis poteſtate, ei denegari, aut quædam extra territorium privativè alteri concedi, ut tamen maneat liberum imperium.* Et in adjecta nota: *exemplum ejus eſt in regnis ſub jugo papali ſitis, quibus potiſſima ſummi imperii portio, jus circa ſacra, denegatur, imo ipſi imperantes eatenus imperio Pontificis ſat rigido ſubſunt, ab eo dependent, & obedientiæ Eccleſiæ debitæ prætextu ſubjectio duriſſima abſconditur. Id quidem olim tot Cæſares & Reges experti ſunt, quos brutum fulmen Pontificis tetigit. Quamdiu tale jugum agnoſcunt, vix eſt, ut plenè imperium & libertatem iis adjudicare poſſim.*

ejuſmodi infauſti civilis imperii limites, quos extranea eademque heterogenea poteſtas, vel poteſtatis uſurpatio potius invexit, ſtatum identidem in ſtatu peſſimo conſilio erigere, Principumque authoritati horrendum in modum derogare, ipſarumque Rerumpublicarum ſecuritatem in præſentaneum, idemque maximum diſcrimen conjicere, (y) viſa.

§.XIV. Cæ-

(y) Hoc graviter & ſolide comprobat atque oſtendit celebris HENNIGES, cujus in libro de *jure Imperatoris circa ſacra* p. 380. hæc ſunt verba: *Glaucoma eſt neſcio qua ſpecioſa pietatis larva fucatum, quod Principum oculis Pontificii hodie objiciunt, quos probibent in ſacris rebus jus dicere, quaſi alieni fori ſint, & extra civilem jurisdictionem: Conſilium boc quam utile & tempeſtivum Eccleſiaſtico ordini, tam peſtiferum Reipublicæ, quæ in ſuo meditullio aliud regimen moleſtè intuetur, non ſibi, ſed extraneo capiti obſequens. Sicut enim viciniis inter ſe Rebuspublicis ob confuſos & incertos terminos, tum ipſam propinquitatem, aſſiduæ querelæ ſunt ac æmulationes: ita non poteſt perfectè Civitas quieta eſſe & concors, quæ in duas factiones dirimitur, quarum illa ſemper tantum publicæ rei detrabit, & privato ſui ordinis commodo impendit, quantum bæc confert: Ad bæc perpetuæ ſuſpiciones inter cives & in finibus regundis lites ſunt, dum alii immoderatè ſemper & perquam avarè manum civilibus rebus ſub quocunque colore injiciunt: alii de damno cavendo ſtudioſè certant. Imò quod peſſimum omnium eſt, ſi tibi aliquando cum Pontifice & Romana ſede controverſia ſit, aut bellum: ſi forte brutum in te fulmen, quod fieri conſuevit, ſiniſtra aure vibratum: ſi ſubditi tui à fidelitate & juramentis abſoluti: Dii boni, quot tunc in Republica boſtes, transfugæ & proditores? Jam pene totus ſacer Ordo partes tuas deſerit, & ſe ad nutum Pontificis componit: jam potentiam & opes ſuas, quas beneficio atque libertate majorum tuorum babent, in Reipublicæ tuamque injuriam impendunt: jam populum pro concione ad ſeditionem provocant, jam privatorum animos in ſecretis confeſſionibus pertentant, aut turbulento jurisjurandi vinculo conſtringunt: Breviter jam tibi plus laborandum de peſte intimis viſceribus Reipublicæ inbærente, quàm externo boſte, qui perfidia & ſuperſtitione alio-*

Digitized by Google

§. XIV.

Cæterum imperium ſummum, de quo jam diximus, non debet confundi cum *abſoluto*; non enim hæc æque late patent, ſed differunt inter ſe, ſi Scholaſticorum ſtylo id efferre liceat, ut latius & ſtrictius. Omne quippe imperium abſolutum eſt etiam ſummum, ſed non viciſſim; quæ obſervatio quanti ſit momenti, ex ſequentibus ulterius patebit.

§. XV.

Vi ſummi Imperii, Princeps in his terris non habet ſuperiorem, immunis proinde eſt à legibus humanis, pœnisque civilibus; neminique obnoxius, nec ad rationes reddendas adſtrictus, adeoque & Perſonam referens ſanctam atque inviolabilem. Quæ rurſus contra Monarchomachos, de quibus adhuc uberius infra, probe tenenda. Conferri autem omnino meretur PUFENDORFIUS de J. N. & G. l. 7. c. 6. ubi hæc omnia plenius exponuntur. Cum tamen &, qui in his terris Superiorem non agnoſcit, nihilominus intuitu quorundam jurium Majeſtaticorum, eorumve exercitio limitationes quaſdam ſubire poſſit, patet ſane, qui habet Imperium ſummum, non ideo ſtatim habere abſolutum (z).

§. XVI.

Imperium vero abſolutum nobis dicitur, quod defertur (aa) *ſine conditionibus expreſſis*; vel eſt facultas regen-

C 2 di

rum ſtat, non domeſticis viribus: Origo ejus mali non aliunde, quam à prodigioſa illa doctrina, quæ jurisdictionem in ſacris rebus imperio Principum eximit, & ad unum Romanum Præſulem defert.

(z) Conf. WEBER ad PUF. de *Off. H. & C.* l. 2. c. 9. §. 1. not. 1. TREUERUS ad eundem l. c. p. 506.

(*aa*) Conferatur hic vel maxime OTTO in obſ. ad Puf. de Off. H. & C. l. 2. c. 9. §. 5. p. 185.

Digitized by Google

di Rempublicam pro ſuo judicio, ita ut media, quæ Princeps, ad finem Reipublicæ congrua atque idonea judicaverit, eligere poſſit, neque hactenus ad peculiaria quædam ſtatuta teneatur *(bb)*. Non eſt, cur quenquam hic offendat vocabulum abſoluti; cum hoc propterea Principem ſuo non exſolvat officio, ſed onus ipſi impoſitum eo magis adaugeat, eoque majorem ab eo circumſpectionem poſcat, quo magis ipſe, in imperii adminiſtratione, ſuo judicio relinquitur. Optime PUFENDORFIUS de J. N. & G. l. 7. c. 6. §. 8. *Tantum abeſt, ut in vocabulo abſoluti lateat aliquid invidioſum, aut liberis hominibus intolerabile, ut idem potius longe acrioris curæ & circumſpectionis neceſſitatem Principibus injungat, ſi quidem officio ſuo & conſcientiæ ſatisfacere velint, quam queis ad præſcriptam formulam negotia publica ſunt expedienda (cc)*. Sane ſi habuit olim Carolus V. cur Imperium, quo ſe ſponte abdicarat, idemque Fratri Ferdinando tradiderat, onus centenario gravius adpellaret, ſentient ſane, multoque vividius ſentient huius oneris gravitatem, quibus non æque, ac Imperatori Romano, ſub prima Imperii initia conditiones poni ſolent, quique adeo, quo manus habent liberiores, eo fortius ligatas judicabunt ipſi, ſi quidem ad muneris ſibi commiſſi natu-

(bb) Exempla ejuſmodi Imperiorum abſolutorum antiqua dedit GROTIUS de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 8. n. 8. recentiora præſto ſunt in *Ruſſia, Gallia, Dania*, alibique.

(cc) Idem etiam in præcedentibus ait: *Heic igitur abſolutus eſt, qui imperium adminiſtrat, non ad normam certorum & perpetuorum ſtatutorum, ſed prout præſens rerum conditio videtur exigere; quique adeo ex proprio judicio ſalutem Reipublicæ, prout ejusdem tempora poſtulaverint, procurat.*

Digitized by Google

naturam indolemque ac ſcopum probe attendere, atque utilitatibus Reipublicæ ea, qua par eſt, ratione conſulere velint. Eximia res eſt Imperium abſolutum, ſi incidat in manus boni Principis, qui & ſibi primum imperare didicerit, & media, quæ in promtu habet, ad commune bonum attemperare ſciat, & velit. *(dd)*

§. XVII.

Procul igitur faceſſat illa Imperii abſoluti idea, quæ in *(ee)* effreni quidvis audendi licentia definit, prout olim CALIGULA apud SUETONIUM in vita ejus c. 29. de ſe dixiſſe legitur: *memento, omnia mihi, & in omnes licere.* Quo pertinet etiam impudentiſſimum JULIÆ AUGUSTÆ aſſertum, CARACALLÆ, privigno ſuo, quem ad ſtuprum ſolicitaverat, dicere haud veritæ: *ſi libet, licet, an neſcis, Te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere.* Vid. VELLEJ.

(*dd*) Pertinet huc locus eximius CHRYSOSTOMI Orat. 62. *Bonus Princeps nihil concupiſcit, quod omnia ſe putat habere: abſtinet & à voluptatibus, quod nulla non potiri poſſit, ſi adpetat; juſtior quoque eſt, quam alii, ut qui omnibus juſtitiam exhibeat: delectatur autem laboribus, quod ſponte laboret; & diligit leges, quod non timeat. Atque hæc recte ſibi perſuadet. Cui enim majore opus eſt prudentia, quam qui tantis de rebus deliberat? cui adcuratiore juſtitia, quam qui eſt ſupra leges? & cui modeſtia continentiore, quam cui omnia licent? & cui majore fortitudine, quam qui omnia ſalva conſervat?*

(*ee*) Bene rurſus B. D. HOCHSTETTER l. c. Ex. XI. §. 32. *Abſolutum non vocamus effrenem omnimodamque qualibet agendi patrandique libidinem; ſed facultatem adminiſtrandi imperium proprio ex judicio, abſque habito ad certa perpetuaque ſtatuta reſpectu, & prout Reipl tempora poſtulaverint.* Idem inſinuat OTTO l. c. p. 386. *Neque vero,* inquit, *abſolutum Imperium accipimus, quaſi nullos habeat limites juris naturalis & Divini; id enim à natura rei alienum eſt. Salus populi in eo ſuprema lex eſt.*

VELLEJ. PATERC. l. 2, c. 100. SPARTIAN. in CARACALLA c. 10. Quanto rectius CICERO Philip. 13. *nec enim, quod quiſque poteſt, id ei licet, nec ſi non obſtatur, ſtatim permittitur*, *i. e.* recte fieri cenſetur. Neque imperium abſolutum notat ejuſmodi poteſtatem illimitatam, quæ eo uſque progrediatur, ut Princeps etiam peſſime agens cum ſubditis, jure ſuo uti cenſendus ſit, nequi hi, tam indigne habiti, de injuria rectè conqueri poſſint. Tale jus abſolutum revera pro *non Ente* (*ff*) habendum, quippe ſolidioribus Jurisprudentiæ naturalis atque genuinæ Politicæ principiis plane adverſum, nullibique ſubſiſtens, niſi in cerebro (*gg*) Principum, tyrannidem magis, quam rationale imperium affectantium, hominumque malitioſorum, qui peſtilentiſſimo adulationum ſuarum veneno animos Principum corrumpere, ipſasque Respublicas in ruinam dare, (*hh*) haud verentur.

§. XVIII.

At quemadmodum imperium, niſi jure fundatum, nullum eſt: ita idem quoque ab eodem ſuum vigorem identidem repetere debet. Nemini datur facultas ad male agendum, utut maxima alias præ aliis dignitate eminenti. Imo eo

(*ff*) Apposite ad ſcopum noſtrum TREUERUS in not. ad Puf. l. c. p. 512. *Abſolutum imperium, i. e. ut vulgo concipitur, jus NULLIS PLANE LIMITIBUS finitum dirigendi actiones Civium ex ſolo arbitrio eſt merum non ens, quod quidem à potentiſſimo quovis prætenditur, ſed plerumque cum ipſo facto & uſurpatione regiminis abſoluti confunditur.*

(*gg*) Ita recte laudatus modo TREUERUS l. c. ſententiam illorum, qui Principibus illimitatam prorſus poteſtatem tribuunt, *politicam cerebrinam* vocat.

(*hh*) Vide retro not. *d.* p. 4.

eo magis in oculos incurrunt prava facinora, quo majorem ſplendorem præſe ferunt, qui talia committunt, ſecundum illud JUVENALIS:

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

§.XIX.

Itaque Imperium abſolutum, quodcunque illud demum ſit, non eſt plane limitum expers. Nam primo manet adhuc obligatio, proveniens à *Lege Naturæ*, cui Princeps æque, ac reliqui homines, ipſiusque etiam Cives, ſubeſt. Uti igitur ad hujus dictamen actiones ſuas identidem componere debet, *qua homo*, ita ad eandem quoque normam nunquam non reſpicere tenetur, *qua Princeps* (*ii*), ut nihil audeat decernere, niſi quod eidem ſit conſentaneum; non audiendus certe, (*kk*) ſi quid ei adverſum civibus injungere,

(*ii*) Bene OTTO l.c. p.382. *Omnis Imperans*, inquit, *legibus naturalibus, omnino tenetur, tum quia homo manet, tum quia Princeps eſt.* Adde TREUERUM l c. p. 474. & B. D. BUDDEI diſſertationem elegantiſſimam *de Principe, legibus Divinis, non humanis ſoluto.* Nec non RACHELIUM in *Inſt. J. N. & G.* p. 144. Hinc rectiſſimè DIONYSIUS matri inverecundæ, ipſum ad actionem ſceleſtam committendam ſub *abſolutæ poteſtatis* illuſorio prætextu provocanti, reſpondiſſe fertur; *Se quidem vi tyrannidis legibus civilibus ſolutum eſſe, naturæ vero legibus vim inferre non poſſe.*

(*kk*) Ita recte NEBUCADNEZARI, impia mandanti, obſequium denegarunt *Viri ſancti*, Danj. c. 3. v. 18. Denegavit & DANJEL ipſe DARIO c. 6. v. 7. 10. 11. Aliud exemplum, admodum notabile, quod olim ſub Carolo IX. Galliæ Rege contigit, videſis in Diſs. noſtra de *inveſtigatione ſtudii moralis, deque ejusdem natura, indole, pretio atque uſu* p. 40. Equidem hic paulo laxior eſt PUFENDORFIUS, dum putat, circa injuſta Principum mandata conſcien-

Digitized by Google

re, conetur. Meminerit identidem, inter ipſum & ſubditos, non obſtante altiſſimo faſtigio, in quo ille præ his poſitum ſe videt, *vinculum humanitatis* (*ll*) adhucdum

tiæ ſubditorum ſatis conſuli per diſtinctionem inter *actionem propriam*, *&* *exſecutionem actionis alienæ*. de off. H. & C. l. 2. c. 12. §. 9. Sed recte ejus ſententiam rejecerunt interpretum plerique. Videatur WEBER ad hunc locum p. m. 351. OTTO ad eundem p. 419. ſq. nec non TREUERIUS, ex cujus obſervationibus p. 558, ſeq. placent nobis inprimis verba, quæ ſequuntur: *Auctoris diſtinctio non tantum obſcura eſt, ſed ſi etiam clarè & diſtincte cognoſceretur, rei explicandæ parum eſt accommodata, mentique nulla ratione ſatisfacit. Nam quid ſit actio civi propria, quamvis ab imperante ei demandata? quomodo exſecutio actionis injuſtæ Civi imputari non poſſit, licet nomine publico ſuſcepta fuerit? non conſtat. Quum civis non ſe habeat inſtar inſtrumenti, vita ſenſuque deſtituti, ſed inſtar cauſæ inſtrumentalis, quæ intellectu prælucente, & decernente voluntate utitur, adeoque de actionis moralitate judicare poteſt, & debet.* Unde recte ROESLERUS in them. p. 134. *Omnis actio*, inquit, *quam quis ſciens, volensque ſuſcepit, recte imputatur, ut propria. Hinc ubi talis actionis exſecutio præcipitur, recte denegatur obſequium, quippe quod ſine crimine præſtari nequit.* Idem laudatus TREUERUS in ſequentibus adhuc ita recte pergit: *quando nonnulla præcepta Principum cum præceptis Juris naturæ collidi videntur; comparatio obligationum erit inſtituenda, & quæ hic locum inveniat, quæ laxior, vel arctior, perpendendum: major ſic Deo, quam Principi debetur obligatio . . . in iis, ubi certiſſimè conſtat, juſſa ſupremæ poteſtatis pugnare cum juſtitia naturali, boni civis erit, obſequium iisdem detrahere, & vel precibus id declinare, vel, ſi id impetrare non liceat, minarum pericula experiri, alias in foro quidem civili iſtorum Principum, non in foro conſcientiæ & Divino, neque aliorum hominum judicio excuſabitur.* Adde & RECHENBERG in diſſ. *de miniſterio, quod crimen eſt.*

(*ll*) Huc pertinet, quod ait BOEHMERUS in J. P. U. p. 290. *cum maneat adhuc vinculum humanitatis inter Imperantem & Subditos, poteſtas ejus magis conſideranda erit ſecundum obligationem J. N* Optime Au-

dum durare; itaque *non minus hominem ſe, quam hominibus præeſſe*, identidem Princeps cogitaverit. (*mm*) Denique meminerit, finem Juris naturalis, qui ad felicitatem generis humani dirigitur, in quamcunque Societatem particularem, adeoque in civilem etiam, cujus ipſe caput eſt (*nn*), influere.

thor libri du *gouvernement civil* c.6. §. 15. *Un tel homme, quoiqu'il s'appelle Czaar, ou grand Seigneur, ou, de quelque autre maniere, qu'on voudra, eſt auſſi bien dans l'etat de nature avec tous ceux, qui ſont ſous ſa domination, qu'il y eſt avec tout le reſte du genre humain.* Quod igitur Seneca in libro de clem. c.18. ait: *Cum in ſervum omnia liceant, eſt aliquid, quod in hominem licere commune jus animantium* (h. e. ex *definitione Stoicorum*, quos *Jureconſulti veteres*, ut plurimum ſecuti ſunt, *jus naturæ*) *vetat, qui ejuſmodi naturæ eſt, atque Tu*, idem ſibi in relatione ad ſubditos, dictum reputabit Princeps, adeoque ab actibus inhumanis eo magis abſtinebit.

(*mm*) Id quod de TRAJANO prædicat PLINIUS *Secundus* in *Panegyrico* ab initio.

(*nn*) Præclare laudatus BOEHMERUS l. c. p. 276. *In omni Societate*, inquit, *formam ex fine deſumendam eſſe, recte aſſerunt eruditi, quia exinde totum negotium Societatis dijudicatur. Jam omnis Societas conſiſtit in unione plurium ad certum finem; neceſſario itaque poteſtas ejus Societatis debet concluſa eſſe intra terminos finis illius.* Et mox, *finis*, inquit, *imperiorum ſatis bonus eſt, nempe idem, qui eſt Juris naturæ, ſcilicet ut publica adſit, atque conſervetur tranquillitas & pax eo magis corroboretur, quæ ſatis lubrica eſt in ſtatu naturali. Quodſi Imperanti abſolutam poteſtatem tribuis, etiam ſimul ſubditorum ſaluti, quæ ſuprema lex eſſe debebat, male conſulis, & revera tollis illam unionem, quæ debebat eſſe inter Imperantem & ſubditos, imo illud ipſum iis adimis, propter quod unius imperio ſeſe ſubjecerunt.* Nervoſe CLERICUS ad Exod c. 21. *Jus hominum ſitum eſt in generis humani Societate*; & modo laudatus Author *regiminis Civilis* c. 1. §. 4. *La loi de la nature a pour but la tranquillité & la conſervation du genre humain.* Queis recte ſubjicit BOEHMERUS l. c. p. 275. *Hoc poſito, eadem lex quo-*

Digitized by Google

ſluere. Quod igitur prudentibus Medicis in more poſitum eſt, ut naturæ non dominari, ſed eandem ſequi, velint, id etiam ſuo modo Princeps imitabitur, ut imperium in ſubditos, tanquam homines gerendo, humanæ naturæ non vim facere, ſed eidem potius velut obſecundare, civiumque felicitati inſervire videatur.

§. XX.

Hinc ſecundo imperium abſolutum continere ſe debet intra limites, quos finis civitatum præſcribit. Hic verò non aliunde, quam à communi illarum ſecuritate ac tranquillitate repetitur. Cum igitur in qualibet Societate finis (*oo*) ſit fons & origo, nec non menſura jurium & officiorum ad eandem pertinentium, idem de civitate, quæ nobiliſſima ſpecies Societatis eſt, tenendum; in qua proinde Princeps, curam illius gerens, non plus ſibi licere judicabit, quam quod finis civitatis patitur ac permittit, (*pp*) ut adeo jus Principis, qua talis, nihil aliud ſit, quam facultas ea

que obligat quoslibet Imperantes, ut Jura ſua exerceant intra modum hujus vinculi.

(*oo*) Conf. omnino GROTIUS de J. B. & P. l. 2. c. 5, §. 24. n. 2. l. 2. c. 14. §. 11. & c. 23. §. 5. l. 3. c. 1. §. 2. PUFEND. de Off. H. & C. l. 1. c. 3. §. 11. & l. 2. c. 6. §. 14. c. 7. §. 1. c. 11. §. 1. Adde & WEBERUM ad laudatum c. 7. §. 1. HOCHSTETTERUM in *Coll. Puf.* Ex. 4. §. 3. n. e. & Ex. 10. §. 1. & not. a.

(*pp*) Nimirum *ſalus populi ſuprema lex eſto*, ut habet vetus idemque probatiſſimum Proverbium. Bene CICERO lib. 1. de off. c. 25. & ad Atticum lib. 8. Ep. 11. *Ut gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria, ſic huic moderatori Reipublicæ beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. Hujus enim operis maximi; inter homines & optimi illum eſſe perfectorem volo.* Conf. etiam SOCRATES apud XENOPH. l. 3. memorab.

Digitized by Google

ea omnia agendi, quæ ad ſalutem Civitatis per ſe requiruntur. Quicquid ab hac alienum eſt, id procul faceſſere jubebit Princeps, nihil ſibi privatim expedire putans, quod non idem Reipublicæ expediat; memor quippe, populum non eſſe propter ſe, ſed ſe eſſe propter populum (*qq*); cujus utilitatibus ſi totum ſe dedat, neque a fine, quem Respublica ſibi propoſitum habet, unquam dimoveri ſe patiatur, tum demum id, quo nihil bono Principi poteſt accidere gratius, nihilque magis honorificum, ſuo quodam obtinebit jure, efficietque, ut PATER PATRIÆ (*rr*) dici mereatur.

§ XXI.

(*qq*) Ita de HADRIANO prædicat SPARTIANUS in vita ejus c. 8. *illum in Senatu ſæpius dicere ſolitum, ita ſe Rempublicam geſturum, ut ſciret, POPULI REM* eſſe, *non propriam.* Quo pertinet etiam, quod canit CLAUDIANUS in Honorio:

- - - - - - *conſule cunctis,*
non Tibi; non Tua Te moveant, ſed publica vota.

Queis addi meretur egregius locus SENECÆ, lib. 1. de clem. c. 19. *cogitare debet Princeps, NON REMPUBLICAM ſuam eſſe, ſed ſe ESSE REIPUBLICÆ.*

(*rr*) Ita ſane olim apud Romanos non quibusvis, ſed præſtantiſſimis tantum Imperatoribus hic honos habitus fuit, ut ex publico decreto Patres Patriæ dicerentur; eodemque nomine, tanquam abſolutæ virtutis teſtimonio, præ aliis exſplendeſcerent. Vid. APPIAN. de *bello* Civ. p. 715. Dignum etiam obſervatu eſt, quod refert HERODOTUS in *Thalia*, dixiſſe Perſas, *Darium Regem, quoniam res omnes quæſtui habebat, & conſtituit tributi ordinationem, fuiſſe inſtitutorem: Cambyſem Dominum, quia aſper & moroſus erat: Cyrum vero PATREM, quoniam mitis erat, & omni ratione de iis mereri ſtudebat.* Ad quod ſine dubio alludit PAUSANIAS in Arcad. ſive lib VIII. c. 43. de ANTONINO ſcribens: *Hunc Romani Pium adpellarunt, quod omnium Religionum ſtudioſiſſimus fuerit, ſed, opinione*

Digitized by Google

§. XXI.

Nec vero à fine civitatis tantum origo jurium, Principi competentium, ſed inde etiam recte eorundem menſura petitur. Ita quod poteſtatem legislatoriam attinet, cavebit ſibi Princeps, ne leges condat, vel nimis (*ſſ*) multas, vel parum utiles, aut noxias plane. Licet enim ſubditorum non ſit, inquirere in leges Principum, ſintne illæ utiles, nec ne, ut adeo ſub quocunque inutilitatis prætextu iis fas non ſit, obedientiam legibus debitam denegare; Principis tamen eſt, in legibus condendis utilitatem Reipublicæ identidem ante oculos habere, atque id agere, ut Civium conſervationem, non deſtructionem atque perniciem quæſiiſſe videatur. (*tt*) Quod idem etiam obſervabit in irrogandis pœnis, ſalutem in his Civitatis potius, quam civium afflictiones (*uu*) ſectando, atque ad eandem etiam attemperando modum, quem prudentia, cæteræque Principe condignæ virtutes, pro circumſtantiarum diverſitate

mea, Cyri etiam majoris cognomen promeruit, ut ſcilicet COMMUNIS HOMINUM PATER diceretur.

(*ſſ*) In multitudine legum non conſiſtere felicitatem Reipublicæ, jam olim dixiſſe legitur PLATO *Reipubl. Dial.* IV.

(*tt*) Itaque deteſtabile erat factum DIONYSII SYRACUSANI, Tyranni, quem ferunt, plurimas leges tuliſſe, iisque promulgatis, data opera conniviſſe, donec omnibus, quod legibus injunctum erat, ſecurè negligentibus, haberet multos obnoxios. *Ita leges*, (verba ſunt WEBERI in *not. ad Puf.* de Off. H. & C. l. 2. c. 11. §. 5.) *illi caſſium erant vice, quibus captabat prædam.* Conf etiam ERASMUS ad CHRISTOPHORUM *Epiſcopum Baſil.* 6. 3.

(*uu*) Prout feciſſe legitur CALIGULA; qui exquiſitiſſimis Civium cruciatibus ita delectabatur, ut in ipſa ſuppliciorum capitalium executione Carnificem his verbis identidem interpellaret; *ita feri, ut mori ſe ſentiant.*

Digitized by Google

ſitate(*ww*)obſervare jubent. Pariter,quod jus tributorum, attinet illud Principi competere,rurſus ex ipſo Civitatis fine,publica nimirum tranquillitate & ſecuritate, clare intelligitur. Sed ex eodem ſimul patet, non eſſe plura exigenda, quam finis iſte requirit, (*xx*) eaque juſta proportione deſcribenda, atque collecta in debitos uſus rite impendenda, ut ait B. Prof. ROESLER l. c. p. 131. Poſſent hæc propoſitis pluribus aliis juribus Majeſtaticis ulterius illuſtrari; ſed ſufficiant iſta ſpeciminis loco.

§. XXII.

Id vero non poſſumus plane ſilentio præterire, quod ex interna civitatis ſtructura & fine etiam pateat, poteſtatem Principis non eo uſque ſeſe extendere, ut ipſe religionem civibus imperare,(*yy*) eosque ad fidem cogere poſſit. Neque enim propter religionem conſtitutæ ſunt civitates, cum illa his anterior ſit, & ad hominem qua talem pertineat, isque in hac rem habeat immediate cum Deo, cui etiam ſoli de fide rationem reddere tenetur; cum & finis civitatis tale

(*ww*) Recte PUFEND. de J. N. & G. l. 8. c. 3. §. 17. *Uti alias in foro humano utilitas civitatis menſuram pœnæ metitur: ita & eadem ſæpe veniam indulgeri jubet ob multitudinem. Etſi enim alias à delicto non excuſat, paria peccantes allegaſſe; eſt tamen prudentum Rectorum providere, ne quæ ſervandæ ſocietati humanæ inventa eſt juſtitia ad civitatem evertendam faciat.* Idem confirmat B. Prof. ROESLER, qui in them. l. 2. c. 13. §. 10. 11. *Sæpe etiam*, inquit, *diſſimulari oportet vitia ob tranquillitatem Reipublicæ . . . aliquando & graves ob cauſas veniam delinquentibus dare poteſt Imperans, pœnasque remittere aut mitigare, ubi Reipublicæ ſalus id vel ſuadet, vel permittit.*

(*xx*) Namque
boni Paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere.

(*yy*) Conf. NOODT de *Religione ab imperio libera.* Adde & BÆLIUM in verba Chriſti: *Compellite eos intrare.*

Digitized by Google

tale imperium neutiquam poſcat, neque natura rei permittat. Quod facile omnes concedent, qui animo ſecum reputaverint, religionem eſſe aliquid ſpirituale, & ex ſe ſuaque natura cultum Dei ſpontaneum inferre, atque ad finem multo nobiliorem, quam pure civilem ordinari; cum porro conſcientia ſoli Deo ſubſit, ejusque libertas naturali jure ad omnes pertineat, neque circa eam resque ad fidem pertinentes unquam cives ſuas voluntates in voluntatem Principis reſignarint, vel reſignare potuerint. Unde qui in his coactionem diverſis temporum intervallis adhibuere, limites poteſtatis ſuæ tranſiliiſſe, *(zz)* merito cenſendi ſunt.

§. XXIII.

Tertio, non eſſe omnium plane limitum expers imperium abſolutum, patet etiam ex *pacto primævo,* quo civitas primum coaleſcere cœpit, quodque in qualibet civitate ſub initium cujuslibet imperii identidem iteratur, addita & paſſim majoris firmamenti ergo ſolennis juramenti *(aaa)* formula.

(zz) Huc pertinet, quod rectiſſime ſcribit PUFENDORFIUS, in eximio libello de *habitu Religionis ad ſtatum §. 6. Si qui ſummi Imperantes ad talia quoque* (violentias puta in Religionis propagatione, de quibus in præcedentibus actum erat) *imperia ſua extenderunt, ſine dubio POTESTATIS SUÆ LIMITES MIGRARUNT; & ſi quid mali eo nomine ſubjectis obſequium detrectantibus intulerunt, id NON PRO ACTU SUMMI IMPERII, ſed pro INJUSTO & HOSTILI, aut TYRANNICO fuit habendum.*

(*aaa*) Ita de antiquis Francorum Regibus memoriæ proditum eſt, ipſos ſub prima Regni initia jurare ſolitos: *juro ego per Deum omnipotentem, me juſte regnaturum, judicium, æquitatem, ac miſericordiam facturum.* Conf. BODINUS de *Republica* l. 1. c. 8. Ita etiam Capitulatio ab Auguſtiſſimo Imperatore ſub ſolennis juramenti fide accipitur, cujus præſtationem coronatio demum ſequitur.

formula. Jam cum pactum illud ſit reciprocum *(bbb)* inter Imperaturum & Subditos, mutuam quoque inter illum & hos obligationem oriri neceſſum eſt. Felicem Rempublicam! ſi adſit, qui juſtè imperet, ſintque, qui promtè & fideliter obediant. Juſte autem imperabit Princeps, ſi ſtet legibus pacti, ſalutemque Civium, quam in ſe ſuſcepit, omni ardore atque ſtudio promotum eat.

§. XXIV.

Et hi quidem limites, quorum hactenus mentionem fecimus, *generaliſſimi* ſunt, in quolibet imperio humano, adeoque & in illo, quod abſolutum dici ſolet, occurrentes. Dantur vero alii *ſpecialiores*, illis Imperiis peculiares, quæ proprie imperia limitata dici conſueverunt. Qualia ſunt illa, in quibus præter illud pactum generale, quod in omni imperio civili neceſſario deprehenditur, poteſtas Imperantis novis iisque ſpecialioribus pactis, quæ & legum fundamentalium *(ccc)* nomine venire ſolent, conſtringitur, quibus

(bbb) Vid. ROESLER in themat. l. 2. c. 6. §. 5.

(ccc) Diſquirunt inter ſe Eruditi, num limites illi recte poſſint dici leges fundamentales? Qui negant, preſſius urgent vocabulum legis, quæ cum proficiſcatur à ſuperiore, & vero in iis, qui ad ejuſmodi limites ponendos concurrunt, talis reſpectus non detur, hinc & legum nomine illos venire poſſe, inficiantur. Accedit & iſta ratio, quod ad vim legis obligatricem non requiratur conſenſus eorum, quibus illa fertur: At vero conditiones iſtæ, futuro imperanti poſitæ, *non obligant invitum ex poteſtate præſcribentium*, ſed obligant demum *acceptantem vi promiſſionis ſuæ*. Videatur omnino ZIEGLERUS de *Juribus Majeſtatis* p. 128. & TREUERUS ad Puf. p. 513. Malunt ergo potius pactorum fundamentalium nomine inſignire. Atque ita ſane in proëmio *capitulationis*, quam vocant, *Cæſareæ* iſta ſubinde verba ponuntur, *Regem Romanorum ante electionem conſenſiſſe in appoſitos articulos* AD MODUM PACTI.

ſtatuti fundamentalis annectitur, & ſimul oſtenditur, quam reverenter Angli ſuum Regem habeant etiam in iis, ubi Imperium ejus à forma Regni abſoluti recedit. Quod etiam Imperium Romano-Germanicum attinet, ejus Caput, auguſtiſſimum Imperatorem, in tanto Dignitatis faſtigio variè limitari, ex ipſis *Capitulationibus Cæſareis*, paſſim proſtantibus, *pacisque inſtrumentis* abunde conſtat *(fff)*.

§. XXVI.

Verum de his quidem limitibus ſpecialioribus, cum ſint arbitrarii, neque cum ipſa civitatum conſtitutione neceſſario cohæreant, adeoque & paſſim variare poſſint & ſoleant, non eſt hic uberius diſſerendi locus. Id modo breviter annotamus, inſtitutum ejuſmodi imperiorum limitatorum ſuis non deſtitui idoneis rationibus; cum enim nemo hominum ſit extra erroris periculum conſtitutus, plusque videant oculi, quam oculus; cum homines etiam, atque in his vel maxime illi, qui dignitate & potentia præ cæteris

ſubjectorum, alterum proprietati bonorum, quibus gaudent, infeſtum videatur. Hinc ut omnis evitetur occaſio, qua populus committi poſſit cum Rege, tanquam ſpiritu narium noſtrarum, & lumine noſtrorum oculorum, uti in ſacris literis vocatur; moribus noſtrorum majorum ita ſapienter proviſum eſt, ut de his duobus capitibus, quoties eorum neceſſitas exſurgere videtur, Rex a populo, velut ſupplicando commone fiat. Quæ poſteriora verba oſtendunt, Anglos etiam in iis, ubi Rex revera limitatur, ea moderatione atque circumſpectione uti, ut ſupremæ ejus dignitati nihil derogatum videatur.

(fff) Conf. Author libri, qui prodiit ſub titulo: *Teutſcher Reichs-Staat*, c. 6. p. 122. adde & SCHWEDER in J. P. p. 263. ſqq. ubi oſtendit, quædam Regalia *ſoli* Imperatori, quædam *Imperatori & Electoribus*, quædam *Imperatori & omnibus imperii ſtatibus* competere. Sive jam *diviſionem Majeſtatis*, ſive *communicationem* id adpellare, velis, nobis perinde eſt.

teris eminent, facile ſuis indulgeant affectibus, adeoque & authoritate ſua haud raro abuti, inque varios exceſſus cum civium detrimento delabi queant & ſoleant; hinc diverſis populis conſultius viſum eſt, imperia potius limitare, quam ea unius judicio permittere *(ggg)*, & viſum forte adhuc

(*ggg*) Digna ſunt verba B.D. HOCHSTETTERI, quæ ex collegio ejus Puf. Ex. XI. §. 33. p. 541. huc tranſcribantur. *Temperare Imperium, unius hominis judicium erroribus haud raro obnoxium, & genius populi, ipſeque civitatis ſtatus nonnullas gentes docuit. Fit autem iſta temperatio per pacta, non generale* (quale eſt in omni Imperio) *illud, ſed SPECIALE, in quo MODUS & MEDIA in regno adminiſtrando adhibenda EXPRIMUNTUR, ut cum promittat,* (Princeps) *ſe privilegia non daturum, oneri reliquis cedentia; non laturum leges novas, milite externo non uſurum* &c. His Regnis limitatis, vel temperatis etiam plurimum tribuit TREUERUS, qui in *obſerv.* ad PUF. de off. H. & C. l. 2. c. 8. §. 3. p. 494. ſq in nota hæc habet: *Eo perfectior erit Reſpublica, quo magis vis ſummi Imperii, & præſtatio obſequii tendunt & uniuntur ad finem ſalutis publicæ, ſive totius ſocietatis. Male quæritur regularitas in ſola unione perfecta jurium ſummi Imperii ad promtiorem exſecutionem voluntatis ſummi Imperantis; abſoluta ejusmodi poteſtas fini reipublicæ ſæpiſſime male conſulit. Si ab Angelis puriſſimis regeremur, ea forte ſummam Reipublicæ pulchritudinem conſtitueret; ſed ut homines præſunt gentibus, qui abſoluta poteſtate abuti poſſunt, ea rectum regularitatis fundamentum non conſtituunt. Magis id quærendum puto in rebuspublicis temperatis, ubi pactis prudentiſſimis ſaluti publicæ proſpicitur, & ſummi Imperantes iis adſtricti ſunt; quo congruentiora in iis continentur adminicula ſalutis, quo magis temperant imperandi ambitionem, populique licentiam ad ſtabiliendam ſalutem totius Civitatis, eo pulchrior erit Reſpublica, eo regularior dicenda.* Conf. idem in notis ad B. de SCHROEDERN *abſolutes Fürſten-Recht* p. 130. Eodem collineant, quæ paſſim tradit LEIBNITIUS in libro de ſuprematu Principum Germaniæ, ubi & p. m. 51. illimitatæ principum poteſtatis aſſertoribus dicam impingit, *imperia*, inquiens, *Hobbeſiana neque apud moratiores gentes, neque apud barbaros*

Digitized by Google

adhuc fuiſſet pluribus aliis, ſi circumſtantiæ reliquæ id ſemper tuliſſent, neque vis quandoque prævaluiſſet.

§. XXVII.

Id quidem generaliter hic tenendum, cum nihil in hac vita detur ex omni parte perfectum beatumque, imperfectiones quoque & vitia in Civitates tranſire; ut adeo, quæcunque hic regiminis forma admittatur, nulla earum omnis

extare arbitror, neque poſſibilia, neque optanda cenſeo, niſi illi, penes quos ſumma rerum eſſe debet, Angelicis virtutibus polleant; tamdiu enim homines retinendam judicabunt propriam voluntatem, ſuæque ſaluti, prout optimum videbitur, conſulent, quamdiu de Rectorum ſuorum ſumma ſapientia & potentia perſuaſi non erunt, quod ad perfectam voluntatis reſignationem neceſſe eſt. Locum ergo Demonſtrationes Hobbeſianæ in ea tantum Republica habent, cujus Rex Deus eſt; cui ſoli tuto per omnia confidi poteſt. Ex quibus verbis haud dubie perſpicitur, LEIBNITIUM omnia imperia velle limitata, quod de limitibus generalibus & communibus facile admittimus, de ſpecialibus vero, quos Author iſte innuere videtur, intellectum experientiæ minus conſentaneum arbitramur, quo nomine etiam OTTO in *obſ. ad* PUF. p. 385. à Viro laudato planè diſſentit. Neque illud heic ſilentio prætereundum, Imperium *abſolutum* cum *Hobbeſiano* non eſſe temere confundendum. Illud enim per ſe non eſt in vitio poſitum, uti imperium abſolutum, quod ab HOBBESIO confingitur. Juſto itaque liberalior fuiſſe videtur LEIBNITIUS, quod hujus peſtilentiſſimi Scriptoris aſſerta *demonſtrationum* loco reputet, cum neutiquam digna ſint, queis tale pretium ſtatuatur, quippe rectius inter deliria referendis. Ex quo ultro intelligitur, in ejuſmodi Republica, cujus Rex Deus eſt, nec Hobbeſianis principiis locum fore, cum hæc ad Tyrannidem viam ſternant; imperium vero Divinum plenum ſit bonitatis & ſapientiæ; neque differat ab humanis quibuscunque, niſi quod his longe ſit excellentius, longiſſiméque perfectius. Tantum abeſt, ut iſtud non ſit imperium verum & proprie tale, prout olim ſomniaſſe legitur THOMASIUS, quod obiter ſaltim heic monuiſſe, non fuerit pœnitendum. Verum de HOBBESIO ipſo mox uberius dicetur.

Digitized by Google

nis prorſus nævi, omniumque incommodorum prorſus futura ſit expers, & hactenus de quolibet ejuſmodi ſtatuum ingeminare liceat illud HORATII:

- - *vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille,*
qui minimis urgetur.

Nimirum & hic, ad ſummam perfectionem contendenti,

eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur ultra.

Non diſplicent tamen in theſi aſſerta TREUERI, modo allata, cum quovis ſtudio eo allaborandum ſit, ut fini, ob quem homines in Civitates tranſiere, quam optime proſpiciatur. Et huc maxime vergit conſtitutio regiminis Anglicani, quod Viro cuidam ſapienti & gravi tam præſtans viſum eſt, ut felices prædicarit eos, queis in iſta regione vivere datum.

§. XXVIII.

Quemadmodum vero in Imperio abſoluto, de quo ſupra pluribus actum, non ſunt migrandi limites, qui ex ipſa intrinſeca civitatum ſtructura atque fine neceſſario ſequuntur; ita etiam in imperiis limitatis proprie atque ſtricte ſic dictis ſtandum eſt omnino Imperanti illis conditionibus expreſſis, ſub quibus imperium ei delatum eſt, ipſeque illud per modum pacti accepit; unde ipſi neutiquam licet, hos limites egredi; quæ obligatio utique ex ipſa lege naturali proximè repetitur, utpote quæ jubet, ſtare pactis, fidemque datam ſervare. Itaque male ſine dubio egit CAROLUS I. Angliæ Rex, quando à pravis Conſiliariis eo ſe abduci paſſus eſt, ut poteſtatem ſuam ultra, quam conſtitutio Regni Anglicani fert, extendere *(bbb)* auderet. Peſſime etiam

(bbb) Id quod diffiteri non potuit Author Anglus idemque magni apud ſuos nominis, Dn. CLARENDONIUS, in libro: *Hiſtory of*

etiam feciſſe cenſendus eſt ipſius Filius, JACOBUS II. utpote qui, pravis ſacrificulorum, quibus identidem cinctus erat, ſuggeſtionibus permotus, multa molitus eſt nova, eademque noxia, Regnique ſtatutis fundamentalibus, queis tamen antea fidem ſuam adſtrinxerat, è diametro adverſa atque contraria,(iii) ipſe hoc modo, ut omnes norunt, ſuam ruinam accelerare viſus.

§. XXIX.

Cæterum ea, quæ hactenus dicta ſunt, obſervari omnino merentur contra HOBBESIUM, qui Imperium ſummum cum abſoluto non modo ubique confundit, verum etiam id unice agit, ut poteſtatem Principum ultra, quam par eſt evehat atque extollat. Unde etiam pactum reciprocum inter Imperantem & ſubditos negat, eoque inſolentiæ progreditur, ut quoad poſſeſſionem bonorum ſubditis nihil relinquat proprii, hosque pecudum inſtar habeat, quibus ab Imperante, quascunque etiam iniquitates adverſus illos committat, nulla eo nomine injuria fiat; imo quibus cognitio boni & mali, juſti & injuſti ne competat quidem, ſed quibus id omne juſtum eſſe debeat, quod vult & facit Princeps, cui & iſti ſimplicem obedientiam præſtare teneantur in omnibus, licet contra rectam rationem militare, adeoque

the revolutions of England. Conf. & Scriptum Gallicum, quod prodiit ſub titulo: *Fautes des deux cotés.* Nec non alterum illud: *Larmes d'Angleterre:* In quibus duobus exiguæ molis opuſculis multa continentur egregia, hiſtoriam illorum temporum præclarè illuſtrantia.

(iii) Pluribus id ipſum oſtendit LARREY in *Hiſt. d'Angleterre*, ſub titulo: JAQUES II. Adde & BURNETI ſcriptum poſthumum, in quo multa de hoc quoque Rege continentur notatu digniſſima.

quæ cum voluntate Dei manifeſtò pugnare videantur(*kkk*). Mittimus alia iſtius Authoris placita nefanda, cuivis, vel leviter reflectenti, horrorem incutere, apta.

§. XXX.

Nec melioris commatis ſunt, quæ tradit HOUTUYNUS in *politica contracta*; licet enim is primo intuitu meliora ſapere videatur, dum in calce illius libri *errorum Hobbeſianorum* meminit, & in præcedentibus de officio Imperantium ad leges naturæ adſtricto agit; tamen & ipſe, ſi dicere velimus, quod res eſt, nil niſi illimitatam Principum poteſtatem ſpirat, hancque more Hobbeſiano non ad profana tantum, ſed ad ſacra etiam eo uſque extendit, ut, judice (*lll*) BOEHMERO, anteſignanum preſſe ſequi, imo vincere etiam videatur.

§. XXXI.

Nec ſilentio prætereundus famoſus Scriptor, NICOLAUS

(*kkk*) Hæc & ſimilia ſententiarum portenta paſſim ſparſa videas in ſcriptis iſtius pernicioſiſſimi Authoris; vid. ſpeciminis loco liber de *Cive* c. V. VI. VII. XII. XV. Conf. & ejusdem *Leviath.* paſſim. Notetur hic judicium MORHOFII de hoc Scriptore, quod legitur in Polyh. T. 3. l. 2. §. 4. THOMAS HOBBESIUS *in libris de Cive, à ſe ſcriptis, ineptè gloriatur, neminem ante ſe quicquam politicæ rei demonſtraſſe, quæ hominis ſuperbia ab ipſorum dogmatum ſtultitia non eſt aliena. Neminem enim ita DELIRASSE puto ante illum. Quanquam non pauci ſint, qui cum iſto flagitioſe ſapere* (vel deſipere potius) *malunt, quam cum aliis recte ſentire.*

(*lll*) *Multa*, inquit, *ex HOBBESII doctrina hauſit, ſed ne hoc feciſſe videretur, colligit in calce errores Hobbeſianos, quaſi minime cum eo feciſſet. Interim capitaliores haud effugit, quin potius ſtrenue ſecutus eſt, imo in nonnullis ipſum HOBBESIUM adhuc SUPERASSE videtur.* vid. J. P. U. Part. Gen. c. 5. §. 6. not. e. p. 311. conf. & Part. Spec. l. 1. c. 5. §. 7. n. h. p. 273.

Digitized by Google

LAUS MACHIAVELLUS, qui inter Pſeudo-Politicos familiam ducit, ab ejus nomine nomen laturam. Is Principem (*mmm*) ſuum ita format, ut tyrannicis artibus inſtruere velle videatur. Et licet ſint, qui illum vel defendere, vel excuſare voluerint, tamen & ex his ipſis non deſunt, qui in ejus adcuſationem vertuntur; & quos inprimis peſſime habet, quod nefariis conſiliis impleat ſua ſcripta *ſine addito antidoto.* Mittimus alia pia & juſta contra hunc Scriptorem deſideria, de quo forte alibi uberior dabitur dicendi occaſio.

§. XXXII.

Non vacat jam, proferre argumenta, queis HOBBESIUS cum aſſeclis utitur, ad ſenteniam ſuam utcunque incruſtandam. Sed operæ tamen pretium fuerit, ſaltim in gratiam diſcentium, dare ſolutionum fontes, queis obſervatis facile pateat, quid ad illa ſit reſpondendum.

§. XXXIII.

I. Ex eo, quod Deus imperium dedit Principibus, non ſequitur, illud ab hominibus reſtringi non poſſe. Quid enim obſtat, quominus imperium, quod quoad rem divinæ originis eſt, tamen quoad modum adminiſtrandi ab hominibus variè limitetur, atque reſtringatur? Addi & hoc meretur. Dominium rerum ſine dubio à Deo eſt; at quis negaverit, Dominia rerum ab hominibus variè modificari, inque civitatibus diverſas accipere reſtrictiones, atque limitationes? conf. ſupra p. 12. II. Modus non variat rem. Imperium itaque nihil de ſuo valore perdit, licet non ſit abſolutum. Optime B. D. HOCHSTETTER in *Coll. Puf.* Ex.

(*mmm*) *Sub hoc enim titulo prodiit MACHIAVELLI liber, Princeps* inſcriptus, *in quem plurium commentationes extant.* Conf. vel maxime de illo Scriptore ejusque antagoniſtis *Obſerv. Halenſes* T. 1. obſ. 1.

Ex. XI. not. d. *Reſtrictio exercitii non tollit ſubſtantiam rei; pertinetque ad modum habendi, non ad rem ipſam.* Atque idem in præcedentibus: *Gradus libertatis pro natura genioque gentis variant, quæ tamen differentia ſummitatem non tollit, aut veritatem Majeſtatis minuit. Lux eſt diluculo, etiamſi gradibus à pleno meridie diſcrepet.* Conf. etiam GROTIUS de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 16. Neque inſuper habenda inſtantia, qua utitur laudatus D. HOCHSTETTER l. c. *apud Perſas Rex cum ſummo erat Imperio; leges tamen certa forma etiam abs ſe latas mutare ipſi nefas erat.* Dan. 6. v. 8. 12. 15. Eſth. 1. v. 19. c. 8. v. 8. conf. & PUFEND. de off. H. & C. l. 2. c. 9. §. 5. & 6.

III. Cum limes, de quo nobis heic ſermo eſt, ſit id, ultra quod in poteſtate Principis nihil amplius concipere licet, & vero idem vel ex ipſa lege naturæ, vel ſpeciali pacto provenire poſſit, fruſtra metuit HOBBESIUS, ne per ejuſmodi poſitionem limitum ſummo imperio derogetur. Neque enim hi à *poteſtate humana majori* petuntur. Num abſurdum, Principem ſe ipſum limitare? num, limitari per leges, à ſummo hujus Univerſi Rectore proficiſcentes? Recte HORATIUS:

Regum timendorum in proprios greges;
Reges in ipſos imperium eſt Dei.

Sane Princeps non deſinit eſſe Princeps, ſi pacto obligetur; hoc enim imperium ſummum per ſe non tollit, ſed ejuſdem tantum exercitio limites ponit. Optime B. OSIANDER in obſ. ad GROTIUM p. 501. *Quando Princeps promittit, aut ſubditis, aut Deo promittit; ſi ſubditis, propterea non*

deſinit

Digitized by Google

deſinit eſſe Rex, cum ſtante illa promiſſione maneat relatio Regis ad ſubditos, ſummi Imperii ad ſubjectos; neque promittit aliquid ſuperiori, neque cogi poteſt à ſubditis, etiamſi illis juraverit, Deo in perjurium animadverſuro; vinculum enim conſcientiæ turpiter rumpitur, ſive ab hoc, ſive ab alio rumpatur. Si Deo, non niſi Deo ſubeſt, & conſequenter etiam præmiſſo juramento ſummus ſub Deo eſſe poteſt. IV. Ex eo, quod ſubditi voluntatem ſuam transtulerunt in voluntatem Principis, non ſequitur illis, quippe volentibus, fieri à Principe injuriam non poſſe, quicquid etiam hic adverſus illos moliatur. Transtulerunt enim, tanquam creaturæ rationales, adeoque juris capaces, quibus proinde injuria fieri poſſit, ſi ab Imperante lædantur. Transtulerunt vi pacti, obligationem reciprocam in Principem non minus, quam ſubditis producentis. Transtulerunt ad ſui conſervationem, non perniciem. Unde abſurdiſſime ab HOBBESIO fingitur translatio voluntatum ex parte civium, qua hi ſeſe ad ea adſtrinxerint, quæ ſunt moraliter impoſſibilia, & à nullo ſano homine præſumi vel exigi poſſunt (*nnn*). V. Ex eo, quod

non

(*nnn*) Optime GERHARDUS NOODT *in orat. de jure ſummi imperii: an præſumendum*, inquit, *homines mentis ſanæ, qui in civitatem, ac ſub imperium coibant, ne per aliorum vim atque injuriam naturæ beneficia omitterent, eo dementiæ veniſſe, ut conſtituta civitate atque imperio ejus finem everterent, ac naturæ bona in ſui honorem magiſtratus projicerent, ita ut exemplo pecudum ratione carentium, deinde non in ſuum, ſed alterius uſum fructus ferre, ejusque arbitrio paſci, agi, mulgeri, tonderi, jugulari, deglubi ac devorari vellent? abſit, non id ratio, non communis ſenſus, non lex naturæ patiatur.* Atque idem rurſus: *liberum habet arbitrium, qui nullis includitur finibus, nec tamen patitur humani ratio conſilii, ut jus probri, ſce-*

leris,

non licet reſiſtere Principi, etiam male agenti, duriterque ſubditos habenti, non ſequitur, iilum propterea in his niti ſolido juris titulo, & poteſtate gaudere, ſimpliciter abſoluta atque illimitata. Num Patri, præter meritum, ultraque modum caſtiganti filium, jus naſcitur, quia illi ab hoc reſiſti non poteſt? num quia, monente Petro 1 Ep. c. 2. v. 18. ſervi obedire tenentur Dominis non tantum bonis & æquis, verum etiam difficilioribus, ipſa propterea horum in illos ſævitia ſtabilitur, jurisque titulum nanciſcitur? Quod igitur egregie monet SENECA de clem. c. 18. *In mancipio cogitandum eſt, non quantum illud impune pati poſſit, ſed quantum Tibi permittat æqui bonique natura*; idem ſibi ſubditorum intuitu identidem dictum reputent Imperantes, *limites poteſtatis ſuæ, quos ipſa rerum natura ponit, neutiquam migraturi.* Itaque probe diſtinguendum eſt inter jus *internum* & *externum*; illud pendet à nexu rerum & actionum objectivo, quatenus iſtæ honeſtatem conjunctam habent, & ipſam agentis conſcientiam tranquillam reddere, aptæ ſunt; hoc vero removet tantum facultatem reſiſtendi in patiente. Jam verò in ponendis Jurisprudentiæ Univerſalis fundamentis non ſane incipiendum eſt ab eo, quid Princeps facere poſſit impune, vel irreſiſtibiliter, ſed quid facere poſſit, æſtimio morali, h.e. quid facere debeat. Hanc

leris, ac flagitii Princeps accepiſſe eo exiſtimetur, quod de eo bene ſperavit populus, qui eum quaſi virum bonum publicæ privatæque utilitatis diſceptatorem elegit, nec opus eſſe putavit, quem tanta tamque libera poteſtate ornabat, pactis adſtringi ad id, quod ultro facturus videbatur. Magis populus, cum non expreſſis ac diſertis verbis ei infrenatam dedit poteſtatem, tacitè pactus videtur, ut, quam habet Princeps, non ad ſuam libidinem, ſed ad naturæ legem componat. Conf. etiam TREUER ad PUFEND. de off. H. & C. l. 2. c. 6. §. 11. p. 474.

Hanc ſolidiſſimam conſiderationem peſſimè neglexit HOBBESIUS, petique hinc debet πρῶτον ψεῦδος perницioſiſſimæ doctrinæ, quam paſſim tradit in ſuis ſcriptis (*ooo*). VI. *Officium* Principis à *jure* non debet ſejungi, neque unum cum altero committi; cum illa ſint invicem connexa, alterumque altero tanquam fundamento atque baſi nitatur (*ppp*). VII. Optime BOEHMERUS in J.P.Un. p.288. *Exempla*, inquit, *probant mores, ſed jus ſecundum leges naturæ conſideratum non probant*. Itaque male HOBBESIUS peſſimæ ſententiæ, quam profitetur, patrocinium ab Exemplis repetit. Non quid, & à quibus, non ubi, & quoties, ſed quam bene hoc vel illud factum ſit, quæritur. VIII. Etiamſi limites Imperiis humanis ab ipſo Jure naturæ præſcripti, vel aliunde etiam petiti, ſuum ſæpe non ſortiantur effectum, non ſequitur tamen, illos per ſe eſſe inutiles. Abuſus non tollit uſum. Nec

(*ooo*) Non poſſum, quin heic mea faciam verba *Viri Excellentiſſimi*, Dn. *Prof.* CANZII, quippe apprimè huc pertinentia. MACHIAVELLI & HOBBESII *famoſæ ſententiæ, quicquid veneni habent, ex eo fonte fluxerunt, quod Imperantis poteſtatem jure EXTERNO non INTERNO æſtimaverit, ſed heic quæſtio non eſt, quid Imperantes facere poſſint, quum nemo eſt, cui reſiſtere liceat; ſed quid JURE & EX LEGE NATURALI ipſis agendum incumbat*. Conf. etiam BOEHMER l.c. p.272. not.9. & p.ſq. n.1. & TREUER in obſ. ad *Puf.* p.506. ubi recte obſervat, *ſummitatem imperii ratione EFFECTUS cum ſummo imperio ratione JURIS non eſſe confundendam.*

(*ppp*) Mirum ſane eſt, HOBBESIUM ad probandam Principum poteſtatem illis identidem tribuere jus, eique reliqua aſſerta ſuperſtruere, quod tamen eodem tempore officium Principis jugulat. Quod non aliunde provenit, quam quia ille, neglecto jure interno, in externo tantum confidit, ex eoque ſuas pernicioſas conſequentias unice deducit. Conf. adhuc BOEHMER in locis modo citatis.

Digitized by Google

Nec quod vitio hominum vel fit, vel non fit, ipſam regulam juris mutat, officiorumque naturam evertit. Intereſt vero etiam, Principes noſſe, illos non jure agere, neque id impune laturos coram Deo, ſi aliter agant, quam agere debebant. IX. Aliud eſt ſolutum eſſe legibus humanis, aliud non ſubeſſe Divinis. Licet hoc poſterius de Principibus non neget HOBBESIUS in theſi, negare tamen videtur in hypotheſi, talem Principibus poteſtatem attribuens, quæ legibus Divinis plane adverſatur. X. Optime BOEHMERUS l. c. p. 299. *Non eſt,* inquit, *imperium extendendum ad illa, quæ imperium non recipiunt.* Itaque in Conſcientiam Subditorum nil poteſt Princeps, neque horum Religio ab ejus pendet arbitrio, utpote quam Cives in illius voluntatem nunquam reſignarunt, nec reſignare potuerunt. (*qqq*) XI. Locus vexatiſſimus 1 Sam. VIII. v. 11. ſqq. HOBBESIO ejusque aſſeclis minime patrocinatur. Sive enim illum cum quibusdam de (*rrr*) *nudo facto*, vel *conſuetudine præter jus introducta*, ſive de jure tantum *externo* (*sss*), cujus naturam indolemque jam in præcedentibus explicuimus; ſive de *vero jure* (*ttt*); ſive de *jure fiſci* (*uuu*).

(*qqq*) Conf. ſupra p. 29. ſq.

(*rrr*) quæ eſt ſententia BRENTII *Hom.* 27. in SAMUELEM OSIANDRI in *commentario*, qui inſcribitur, *Id eſt*, in hunc locum. TOSSANI in *not. Bibl.* ad h. l. LEIDEGGERI de *Repl. Hebr.* T. 1 L. 7. c 4. p. 431. ZEPPERI in *explicatione legis Moſaicæ* L. 4. c. 8. FRANZII de *interpr. Script.* orac. 126. BERTRAMI *de Rep. Hebr.* c. 8. p. 110.

(*sss*) Uti ſtatuunt DANNHAUER in *Pol. Baſil.* p. 63. GROTIUS de J. B. & P. l. 1. c. 4. §. 3. BOEHMER l. c. Part. Sp. l. 1. c. 5. §. 4. & not. d. & §. 9. n. k. p. 274. §. 21. p. 290.

(*ttt*) Cui ſententiæ patrocinantur LUTHERUS in *Poſt. domeſt. ad Evang. Dom.* 23. poſt *Feſt. Trin.* Conc. 1. GERHARD. L. de *Magiſtr. Pol.* p. 680. CALOV. *Bibl. illuſtr.* ad h. l. SCHERZER in *Syſt.*

Digitized by Google

(*uuu*), habito ſcilicet reſpectu ad regnum heic primum *conſtituendum*, non jam diu *conſtitutum*, interpreteris, nulla ſane iſtarum ſententiarum eſt, unde *abſolutiſſmus* imperii civilis *Hobbeſianus* vel tantillum roboris accipiat; quod cum brevitas inſtituti plura non permittat, alio tempore, ſi Deus vitam & valetudinem porro conceſſerit, data opera uberius atque ſpecialius perſequemur.

§. XXXIV.

Quemadmodum vero HOBBESIUS cum aſſeclis poteſtatem Principum plus juſto extollit, ita eidem non ſatis, quod erat, tribuere viſi ſunt *Monarchomachi*, de quibus ſupra jam tactis, breviter adhuc aliquid dicendum, reſtat. Semina hujus pernicioſiſſimæ ſectæ jam ſparſa fuere tempore LUDOVICI BAVARI à quodam MARSILIO DEMENANDRINO, qui & alias *Patavinus* cognominari ſolet, in libro, qui titulum fert, *Defenſor pacis*, propagata poſtmodum à MARIO SALAMONIO in libris de *Principatu*, LEONE X. ſedem Romanam occupante. Maxime autem hæc Secta, diu hinc inde ſerpere ac diſſiminari viſa, vires cepit in Gallia poſt famoſas, easque ſeræ poſteritati (*www*) deteſtandas *nuptias*

p. 744. OSIANDER ad GROT. p. 534. OBRECHT ad *eundem* l. 1. c. 4. §. 3. SCHICKARDUS de J.R. p. 64 PFEIFFER in *dubiis vexatis* Cent. 2. L. 69. p. 368. ZENTGRAV. in *ſumma juris Divini* Sect. 2. art. 2. §. 13. BECCMANN in *medit. Pol.* Diſs. 21. §. 5. ubi ſpeciatim hunc locum interpretatur de *dominio eminenti*, quod ſpecies eſt *veri juris*, Principibus competentis. adde & *Magn. Dn. Canc.* B.D. PFAFFIUM, qui in *annot.* ad h.l. ſententiam *tertiam* cum *ſecunda* haud inepte conjungi poſſe, exiſtimat.

(*uuu*) Quæ fuit olim ſententia B.D. HOCHSTETTERI, *Abbatis Bebenhuſani*, laudata celeb. ejus Filio, in *Coll. Puf.* Ex. XI. §. 9. not. D. Eandem etiam perſpicue adſtructum ivit PUFENDORFIUS de J. N. & G. l. 7. c. 6. §. 9.

(*www*) Fatetur id celebris Hiſtoriographus Gallus, THUANUS, qui

nuptias Pariſienſes. Tum enim multi, deſpotici atque tyrannici imperii juſta indignatione atque tædio capti, in alterum extremum, ut fieri ſolet, prolapſi, dignitati atque authoritati Principum miris modis derogarunt, propoſita, cujus jam ſupra à nobis mentio facta, nova eaque pernicioſiſſima diſtinctione inter Majeſtatem *realem*, atque *perſonalem* (*xxx*), illam populo, hanc imperantibus tribuentes, ea quidem ratione, ut illa huic non modo par, ſed eadem etiam ſuperior haberi debeat. Quo ipſo etiam editis ſcriptis (*yyy*) aſſerere haud veriti ſunt, Principem, quotiescunque

ad factum iſtud horrendum, juſſu Regis, Caroli IX. perpetratum applicat hæc verba Poetæ veteris:

Excidat illa dies ævo, ne poſtera credant
Secla!

(*xxx*) De hac diſtinctione recte ita judicat PUFEND. de J. N. & G. l.7. c.6. §.4. *quam quidem nos non abſurde modo, ſed & pernicioſè ad imperium adplicari judicamus, eo ſenſu, ut reali & perſonali Majeſtati ſimul & eodem tempore in civitate Monarchica locus præbeatur; adeoque in Regno Regi tribuatur imperium perſonale, populo, prout Regi contradiſtinguitur, reale; & quidem hoc illi par, aut ſuperius; prout alias jura realia perſonalibus nobiliora fere habentur. Hoc enim contradictionem involvere, & civitates facere bicipites, non ſine exitiabili convulſione in aprico eſt.*

(*yyy*) Talia fuere: FRANCISCI HOTTOMANNI *Franco-Gallia*, prodiit An.1573. conf. & de hoc ſcripto THUANUS lib.57. Hiſt. f. 49. liber de *jure Magiſtratuum*, qui *Magdeburgenſibus* vulgo adſcribitur; vide Dedicationem *edit. Francof.* præmiſſam. & THUAN. l. c. f.50. *Anti-Machiavellus*, cujus libri authorem ferunt INNOCENTIUM GENTILETTUM, prodiit primum *Gallicè*, poſtmodum & *Latinè* comparuit A.1579. *Vindiciæ contra Tyrannos* Authore STEPHANO JUNIO BRUTO, ſub quo ficto nomine alii HUBERTUM LANGUETUM, alii PHILIPPUM MORNÆUM, alii THEODORUM BEZAM latere volunt. LAMBERTI DANÆI *Politica Chriſtiana*. GUILIELMI ROSSÆI liber de *juſta Reipublicæ*

cunque ſuo non ſatisfacere officio videatur, à populo, tanquam Majeſtatem realem habente, pro lubitu coerceri, ac puniri, nec modo ab officio removeri, ſed vita etiam privari à civibus poſſe, cui ſententiæ quoque olim in Anglia, (*zzz*) cum factio *Cromvvelliana* prævaleret, & pluribus annis

Chriſtianæ in Reges improbos & hæreticos authoritate, cujus verum Authorem perhibent GILB. GENEBRANDUM. vide LONDORP. tom. 2. *act. publ.* p. 267.

(*zzz*) Pertinet huc inter alia MILTONI *defenſio pro populo Anglicano*, quod ſcriptum Author oppoſuit SALMASIO, qui Regem contra populum defenderat. De his duobus viris memorabile hoc judicium tulit vir quidam eruditus: MILTONUM *malam cauſam optime*, SALMASIUM è contrario *optimam cauſam peſſime* defendiſſe; prorſus uti cauſarum patronis in foro id ſæpius evenire ſolet. Cæterum de duobus his Authoribus conferri etiam meretur CONRINGIUS in *theſauro Rerumpubl.* P. 2. p. 576. Nec ſilentio prætereundus nobilis Anglus SIDNEJUS, cujus librum de *regimine civili* ex *Anglico* in *Gallicum* ſermonem transtulit Dn. SAMSONIUS, qui in præfatione hujus translationis ſequens iſtius Authoris refert anecdotum, idemque attentione noſtra haud indignum. Nimirum cum illuſtris hic Vir, ob defenſa Monarchomachorum principia Regi Angliæ, Carolo II jam exoſior redditus, ſecuritati ſuæ in Patria non ſatis proſpectum crederet, conſilium cepit peregre abeundi, in quo itinere Hafniam delatus, vidit Album Univerſitatis, quod pro more iſtius loci recepto ipſi fuit oblatum, ut ei ſententiam aliquam inſcriberet. Arrepto itaque libro mox iſta verba inſeruit:

manus hæc inimica tyrannis
enſe petit placidam cum libertate quietem.

Quod vero maxime mirandum, illud eſt, quod cum, aliquo tempore interjecto, in Patriam reverteretur, idemque criminis læſæ Majeſtatis poſtulatus, in locum cuſtodiæ, non niſi perſonis illuſtribus aſſignari ſolitum, Anglice *Tower* dictum, duceretur, inter alia crimina hoc quoque ipſi objectum fuit, quod, cum Hafniæ

annis poſt, haud pauci, iique ſpectatæ dignitatis viri, acceſſerunt. Uti vero hæc ſententia falſa, & ab ipſa civitatis ſtructura, ſummique imperii indole plane aliena, & ſacris etiam literis manifeſto contraria eſt; ita ea non minus, quam doctrina HOBBESII, ejusque ſociorum, cui è diametro opponitur, valde noxia, & authoritati ſummorum Imperantium, imo eorundem quoque, ut & ipſarum Rerumpublicarum ſecuritati atque tranquillitati quam maxime adverſatur. Namque Hobbeſiani *tyrannidis*, Monarchomachi *licentiæ popularis* atque *rebellionum* ſemina ſpargunt: illi *ſubditos* in *Regum*, hi *Reges* in *ſubditorum mancipia* convertunt; utrique ergo virus in Rempublicam effundunt valde noxium, illi tamen *craſſius*, hi *ſubtilius* (*aaaa*).

§. XXXV.

Nimis prolixum foret, ſingula Monarchomachorum argumenta heic recenſere, ad eademque ſigillatim reſpondere; itaque ſuffecerit, paucas quasdam obſervationes, tanquam totidem ſolutionum fontes afferre, quibus obſervatis haud difficilis ad illa reſponſio pateat. I. Falſum eſt ſuppoſitum, quod conſtituens ſuperior ſit conſtituto. Quid ſi ſervus ſibi Dominum conſtituat? Num ideo hic Domino ſuperior dicendus? Adde & hoc, ſi placet. Non poteſt conſtituens ſuperior eſſe conſtituto, ſi ratio conſtitutionis eſſentialiter id ſecum ferat, ut conſtituto imperium deferatur, cui ſubjectio in conſtituente ex ipſa natura atque indole negotii, de quo

eſſet, inſcriptis his in album Univerſitatis verſibus animi ad rebellionem proni ſignum haud obſcurum dederit; cujus rei hic tandem triſtis fuit eventus, ut, diverſis aliis in iſtius viri ruinam confluere viſis circumſtantiis, idem capitali ſupplicio afficeretur.

(*aaaa*) Conf. omnino obſ. Hal. T. 6. obſ. 1. & BOEHMER l. c. p. 124.

Digitized by Google

quo agitur, reſpondeat. (*bbbb*) II. Quando GROTIUS juxta cum quibusdam aliis diſtinguit inter Subjectum Majeſtatis *proprium* & *commune*, illudque Imperantem, hoc ipſam civitatem eſſe vult, non propterea famoſam illam Monarchomachorum diſtinctionem confirmat. Primo enim GROTIUS ipſe horum ſententiam expreſſe refutat, manifeſto indicio, Majeſtatem realem & perſonalem Monarchomachomachorum ab illa Grotiana plurimum differre. Deinde diſtinctio GROTII, & reliquorum, eadem utentium, in ſumma huc redit. Nimirum quando quæritur, ubi ſit Majeſtas, reſpondetur, eſſe eam in Civitate; cum vero hactenus de ſubjecto Majeſtatis nondum conſtet, niſi confuſè, adhuc inſtare licet, & quærere, penes quem ergo in civitate Majeſtas reſideat, & cuinam diſtinctè competat, tumque reſpondetur, eſſe illam penes imperantem, qui ſit perſona vel *phyſice una*, ut in *Monarchia*; vel *moraliter una*, uti in *Ariſtocratia*, ſeu *Democratia*; cum illic *Optimates*, hic *Patresfamilias*, in *Conciliis Democraticis congregati*, imperium adminiſtrent. Et hoc ſenſu jam *Civitas* eſt ſubjectum Majeſtatis *commune*: *Imperans proprium*. Quo obſervato patet ſimul, eſſe hanc diſtinctionem ab illa inter Majeſtatem realem & propriam, qua Monarchomachi ſenſu illis peculiari & proprio, & jam in præcedentibus à nobis expoſito & rejecto utuntur, longe diverſiſſimam (*cccc*).

III. Ex

(*bbbb*) Addi merentur & hæc GROTII verba, de J.B. & P. l. 1. c. 3. §. 8. n. 13. *Primum, quod aſſeverant,* (Monarchomachi) *eum, à quo aliquis conſtituitur, eſſe ſuperiorem conſtituto, verum duntaxat eſt in ea conſtitutione, cujus effectus perpetuo pendet à voluntate conſtituentis; non etiam in ea, quæ ab initio eſt voluntatis, poſtea vero effectum habet neceſſitatis. Quomodo mulier virum ſibi conſtituit, cui parere ſemper neceſſum habet.*

(*cccc*) Conf. GTOTIUS de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 7. n. 1. & 3. & in notis ad

III. Ex eo, quod Princeps eſt propter populum, non ſequitur, populum eſſe Principe ſuperiorem. Nam & tutor eſt propter pupillum, neque hic tamen illo ſuperior. IV. Nec ſequitur etiam; populus Principi Majeſtatem contulit; ergo adhuc Majeſtas competit populo. Namque, ut alia jam taceamus, contulit populus Majeſtatem non *cumulativè*, ſed *privativè*, uti in Scholis loquuntur, h. e. contulit ita, ut ipſe non amplius habeat. Poſſent his addi plura, ſed properandum ad finem.

§. XXXVI.

Id unum adhuc quæritur, an, cum vi juris externi, Principibus competentis, ad patientiam obligati ſint ſubditi, id jus extendatur in infinitum, ita ut iis reſiſtere nequeant ſubditi, quascunque etiam afflictiones & oppreſſiones ſuſtineant. Et hic quidem recepta ſententia eſt, quod illis non liceat reſiſtere *ordinariè*; non ob delictum *quodcunque*, non ob *læſiones*, etiam *graves*, *civitati ad tempus* illatas, nedum ob *privatas*, utut *atrociſſimas* injurias atque offenſas, in *hunc*, vel *illum civium* exercitas, quorum proinde nulli jus violentæ defenſionis, regulariter alias conceſſum, in Principem invaſorem *(dddd)* competat. Hactenus itaque jus Principum externum ſalvum manet atque indelibatum. Sed ſi tamen Princeps TYRANNUM agat in *totam Civitatem*; ſi agat non *uno* tantum, *alterove* in caſu, ſed talem ſeſe oſtendat *pluribus*, iisque *continuis* actibus; ſi, ſæpius licet *humillime monitus*, à pernicioſo inſtituto *deſiſtere nolit*; ſi denique agat ita, ut civitatem non *labefactare* modo, ſed *evertere* velle videatur, tum vero dubium non eſt, quin eidem reſiſtere liceat, non quidem à *ſingulis*, ſed à TOTA CIVITATE, Idemque adeo, *ſi aliter exitus*

non

hunc §. & l. 2. c. 9. §. 8. & in notis. Et PUFENDORF de J. N. & G. l. 7. c. 6. §. 4.

(dddd) In colliſione enim obligationum debilior cedit fortiori. Jam vero fortior eſt obligatio, ſalutem totius civitatis, Principi incumbentem, quam hujus vel illius civis privatam reſpiciens. Id quod obſervari heic meretur contra VASQUIUM, jus violentæ defenſionis etiam ad hunc caſum extendere auſum, ex hac frivola atque temeraria hypotheſi, dum promiſcuè aſſerit, imperia delinquendo amitti. Pro noſtra autem ſententia vid. GROTIUS de J. B. & P. l. 2. c. 1. §. 9. & Exc. Dn. Prof. CANZ. l. c. §. 181.

Digitized by Google

non pateat, ab officio removeri poſſit. Namque hoc modo vinculum inter imperantem & ſubditos omnino ſolvitur, cum ille non jam amplius Principem, ſed tyrannum agat, cui cives ſuam fidem nunquam adſtrinxerunt, neque, ut ex ipſa rei natura patet, adſtringere potuerunt. Jus quippe imperandi non eſt jus perdendi rempublicam, & obligatio parendi, vel non reſiſtendi non eſt obligatio indulgendi ruinam totius reipublicæ *(eeee)*; cum hoc plane contra omnem ſenſum communem pugnet, ſitque à ſcopo civitatis prorſus alienum, neque ex ullis aliis idoneis fundamentis oſtendi poſſit. Quando autem in ejuſmodi urgentiſſimo extremæ neceſſitatis caſu reſiſtit civitas, non agere cenſenda eſt ex *vi ſuperiore*, ſed IPSO JURE, *(ffff)* uti loquitur GROTIUS, jure ſcilicet defendendi ſalutem publicam, quam hic à Principe, vel tyranno perpetim, & ſine ſpe emendationis penitus conculcari videt. *(gggg)* Ex quibus ſimul *additisque*

(eeee) Optime BOEHMERUS l.c. p. 278. *obligarunt ſe cives ad patientiam & ſubjectionem, quia viderunt, Rempublicam non poſſe eſſe ſalvam, ſi reſiſtendi jus ſingulis maneat integrum.* Jam vero agitur hic de ejuſmodi caſu, ubi ſalus civitatis non quomodocunque periclitatur, ſed aperte tollitur, ipſaque civitas evertitur, & in ruinam datur, itemque agitur de reſiſtentia facienda, non à ſingulis, ſed à tota civitate. Itaque jus Principis externum hic eo ipſo deſinit, & obligatio non reſiſtendi ex parte ſubditorum ceſſat.

(ffff) de J.B. & P. l. 1. c. 3. §. 16. n. 2.

(gggg) Lucem hactenus dictis fœnerantur, quæ ſcribit TREUERUS in *obſ. ad Puf. de Off. H. & C.* l. 2. c. 9. §. 4. not. 2. p. 508. *Nulla injuria jure naturæ ſolvere videtur obſequium civium, niſi ea talismodi ſit, quæ PENITUS tollit finem, ob quem voluntates civium in Principem delatæ ſunt. Si enim tota ratio delati imperii ceſſat, adeoque non iniquum erit, ut tota civitas, vel ii, qui eandem repræſentant, preces ſuas, admonitiones, conſilia imperanti exponant, quibus fruſtra adhibitis nonnulli putant, abdicationem imperii juſtiſſimè addi poſſe.* Atque idem in ſequentibus: *verum quoque eſt, inculpatam tutelam, quam jus naturæ in ſumma neceſſitate ſingulis hominibus conceſſit, per pactum civitatis & obſequii toti populo non eſſe ademtam, quæ omnino in tyrannum uti poteſt, qui pacta ſecuritatis ipſe diſſolvit; non principi reſiſtitur, ſed tyranno. Ea, quæ*

ditisque noſtris CAUTELIS ſimul patet, inter *hanc ſententiam*, & *principia Monarchomachorum*, quam plurimum intereſſe. (*bbbb*)

§. XXXVII.

Cum ita jus Principis externum haud omnes plane reſpuat limites, etiam in regnis, quæ alias abſoluta dicuntur, in quantum ſcilicet nec in his obligatio non reſiſtendi ad tyrannum patienter ferendum extendi poteſt, vel debet; ultro intelligitur, idem jus externum multo adhuc facilius limites ſubire in illis regnis, quæ ſpeciali nomine limitata dicuntur. Cum enim in his Princeps ad *conditiones expreſſas* teneatur, hinc, ſi iis contranitatur, conditionesque, qui-

contra adferri ſolent, privatorum magis jus impugnant, quam totius civitatis; temerarium reſiſtendi auſum magis improbant, quam extremam, juſtamque ſe defendendi neceſſitatem, nec ſatis inter reſiſtentiæ efficaciam & jus diſtinguere ſolent. Idem rurſus de civitate obſervat, quod ea, *vero tyranno reſiſtens, non judicis partes ſuſtineat, ſed paciſcentis, cui jus competat contra atrociſſimas injurias, ex læſione pacti reſultantes, ſe defendendi.* His addimus verba OTTONIS, qui pariter in obſ. ad PUF. p. 185. hac de re ita judicat: *Quod ſi vero injuriæ ſint intolerabiles, & Phalaris aliquis, Tiberius, Caligula, aut Nero civium vitam, religionem, libertatem, & jura publica animo hoſtili invadit, vel in præſens diſcrimen conjicit, non modo ex intentione eorum, qui in civitatem coivere, ſed etiam ex jure neceſſitatis & defenſionis, jus redit ad ſtatum naturalem, & immani ejus ſævitiæ reſiſtere licet, qui omnium, vel plurium conſenſu, quorum intereſt, Rempublicam ſalvam eſſe, pro tyranno eſt declaratus: conſiſtere enim ſimul non poſſunt voluntas imperandi & voluntas perdendi.* Conf. & NOODT de Jure S. J. qui tamen & ipſe limites heic excedit, dum populo tribuit facultatem reſiſtendi *per modum pœnæ*; in quo quidem rectè ab eo diſcedit BÖHMERUS l. c. p. 279. ſed quando & hic omnem reſiſtendi facultatem vel toti populo denegat, metuens, ne ita Princeps à populo dependere, dicatur, juſto forte timidior videtur; civitas enim Tyranno (de hoc enim, quod identidem tenendum, heic ſermo eſt, eoque aperte, & perſeveranter tali) reſiſtit non ex *vi ſuperiori*, ſed ipſo *jure*, neceſſariæ ſcilicet defenſionis, uti modo pluribus oſtenſum.

(*bbbb*) Uberius iſta exponit Vir excellentiſſimus, Dn. Prof. CANZ l. c. §. 1204. ſqq.

Digitized by Google

quibus fidem ſuam adſtrinxit, non adimpleat, ægre ferre non poterit, ſi iſtiuſmodi actus, quippe ſtatutis fundamentalibus plane contrarii, ab ordinibus pro nullis habeantur. Huc pertinet, quod ſcribit GROTIUS de J.B.& P.l.c.3.§.14. ubi de Regnis limitatis ita diſſerit: *Fatendum tamen, id, ubi ſit, arctius quodammodo reddi imperium, ſive obligatio duntaxat cadat in exercitium actus, ſive etiam directè in ipſam facultatem. Priori ſpecie actus contra promiſſum factus erit injuſtus, quia promiſſio jus dat ei, cui promittitur: altera autem ſpecie erit etiam NULLUS, defectu facultatis.* Allegat hæc verba PUFENDORFIUS de J. N.&G. l.7.c.6. §.10. ubi & circa prius monet, poſſe & illos actus non modo pro *injuſtis*, ſed & pro *irritis* haberi; ut quando Rex promiſerit, *ſeſe inconſultis ordinibus nova tributa non indicturum, tum enim IRRITAM fore indictionem, quam Rex PROPRIO fecerit ARBITRIO.*

§. XXXVIII.

Quo arctius itaque Regnum aliquod eſt limitatum, eo magis etiam ipſum jus imperantis externum limites accipit, eoque facilius idem reſiſtentiam ſubire poteſt. Patet id exemplo Imperii Romano-Germanici, quod valde limitatum eſſe, jam ſupra oſtendimus. Atque ita etiam Imperatori, ſi contra ſtatuta fundamentalia agat, ab Ordinibus imperii reſiſti, imo & illum pro re nata deponi poſſe, & *aſſerta Juris publici Doctorum*, (*iiii*) & *exempla* confirmant. Neque nimis attendi meretur Conſtitutio JODOCI, quam infra (*kkkk*) ſubjungimus

(*iiii*) Conf. hic inter alios KEMMERICH in *introd.* in J.P. l. 3. c. 5. §. 7. ſqq. ubi & exempla ejuſmodi exauctorationum allegantur.

(*kkkk*) Verba hæc ſunt: *Quod ſi nos ipſi (quod abſit) aut quiſpiam ſit ſucceſſorum noſtrorum, Romanorum Regum, vel Imperatorum (quod non ſperamus) proceſſu temporis aliquo huic noſtræ ſtatutioni & ordinationi contravenire voluerit, aut eam retractare, aut aliquo quovis modo violare præſumſerit, præſentium authoritate literarum, quas mera noſtra authoritate & poteſtatis plenitudine Regia, ex certa noſtra Majeſtatis ſcientia, nec non cum conſenſu & beneplacito præfatorum Sacri Romani Imperii Principum Electorum in robur perpetuæ firmitatis ſancivimus, exhinc iam ipſi Electores, quam cæteri Principes, Eccleſiaſtici & ſeculares, Prælati, Comites, Barones, Nobiles ac Communitates Sacri noſtri Imperii Univerſi &*

jungimus ex GOLDAST: *Conſt. imp.* T. 3. p. 424. digna ſane, cui locum heic demus. Atque ita etiam paſſim proſtant exempla Regnorum, cum *clauſula commiſſoria* (llll) delatorum, h. e. ita delatorum, ut niſi imperans ſtet ſpecialibus conventis, ipſe imperio excidat. Cæterum ſupra jam breviter obſervavimus, quam male ceciderit JACOBO II. Regi Angliæ, quod is in rebus graviſſimi momenti egerit contra *ſtatuta Regni*, queis juramenti fide adſtrictus erat; qua de re proſtant teſtimonia Virorum fide digniſſimorum. (*mmmm*) Quod verò triſtia CAROLI I. fata concernit, hic licet non negemus, illum multa minus prudenter, minusque ex tenore legum Regni egiſſe, tamen parricidium, in ipſius perſona commiſſum propterea nullatenus defendi poſſe, cenſemus, atque idem etiam hodienum deteſtantur Angli, quotannis diem ſolennem celebrantes, in quo ſcelus à majoribus admiſſum, coram Deo deprecantur, atque ita ſolicitè cavere ſtudent, ne, quicquid eſt illius criminis, à Majoribus commiſſi, indeque contracti reatus ulla ratione tranſire ad poſteros, videatur.

ſinguli, præſentes ac futuri, licitam habeant facultatem SINE REBELLIONIS AUT INFIDELITATIS CRIMINE RESISTENDI & contradicendi nobis, & noſtris ſucceſſoribus Romanorum Regibus, vel Imperatoribus, in perpetuam libertatem. Datum in *Franckenfurt.* &c. A. 1410. Anno vero Regni primo.

(*llll*) Conf. PONTANUM *Hiſt. Dan.* p. 601. ſq. HARTKNOCH. de *Republ. Pol.* l. 2. c. 2. §. 21. p. 428. THUANUM l. 62. ad an. 1575. ubi & refert illuſtre Exemplum STEPHANI, *Poloniæ Regis*, qui ſub eadem *clauſula commiſſoria* hanc iniit conditionem, ut, *ſi ulla in re jura, libertates, & privilegia populi Polonici violaret, eo ipſo omni Regni jure excideret, Proceresque omni debita obedientiæ fideique vinculo ſoluti eſſent.* Addet & GROTIUM de J. B. & P. L. 1. c. 3. §. 16. & *annal. Belg.* ad an. 1572. nec non PUFENDORF. de J. N. & G. l. 7. c. 6. §. 10. ut & HERTIUM in *El. Prud.* Civ. P. 3. Sect. 14. §. 3. p. 454. ſq.

(*mmmm*) Graviter inprimis hac de re diſſerit LARREY in *Hiſt. d'Angleterre* T. 4. p. 654. ſq. Conf. & BURNET *Hiſt des dernieres revolutions d'Angleterre* T. 3.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google